



Q. D. B. V.

DE

STVDIIS ACADEMICIS ORDINANDIS.

SECTIO I. EAQUE PROOEMIALIS.

CAP. I.

De Eruditione.

§. 1.

Cum omnibus, qui studiorum gratia in Academias veniunt, propositum esse debeat, animum eruditione in publicum profutura perpolire; opus est, ut ante, quid, & quotuplex sit ea, sciatur, quanta illam studio & industria debita consequi forte nitantur.

§. 2.

Ea vero, summatim loquendo, partim in Lingvarum peritia, partim in ar-

A

ciuntur

tium & rerum, cum divinarum tum humanarum, & quæ ad artes liberales scientias pertinent, notitia consistit; qua animus excolitur atque perficitur, ne incultu & socordia torpescat.

§. 3.

Lingvæ, quæ primum hoc pertinent, sunt vel omnibus eruditis propriæ; ut *Latina & Græca*; vel quibusdam tantum eruditis (*Philologos & Theologos* puta) utiles, ut *Hebræa, Chaldaica, Syriaca, Arabica & Orientales* aliæ. Cæteræ lingvæ, ut *Gallica, Italica, Hispanica & Anglicæ* *Theologos & Politicos* ornant quidem, ac interdum etiam *Theologos* juvant; hodie in primis, ubi multi libri *Theologici Gallici Gallico & Anglicano* idiomate exarati prostant utiles. At vero non ita necessariæ sunt, ac supra jam nominatæ, *Latina, Græca & Hebræa*.

§. 4.

Artes deinde liberales, rerumque variarum, seu divina, seu humana vocentur,

tur, *scientia*, eruditionem efficiunt variam. Quapropter eam pro rerum varietate, circa quas occupatur, distinguemus in *utilem*, *elegantem* seu *curiosam* & denique *inanem*.

§. 5.

ERUDITIONEM UTILEM vocamus, cuius usus in vita humana & sociali manifestus est; ut *Theologica*, quæ est *narrativa*, ex S. literis quippe hausta; *Moralis*, quâ animus ad vitam honeste transigendum excolitur; *Juridica*, qua lites civium juxta leges civitatis determinantur; *Physico-Medica*, qua sanitas corporis procuratur; *Mathematica* vitæ humanæ multas commoditates adfert; *Historica* rerum gestarum in Ecclesia & republica memoriam conservat; & *Oratoria*, qua viri, in sacra & civili societate apte loqui instruuntur.

§. 6.

ELEGANS & CURIOSA dici possunt, quæ hominem ingenuum ornat magis

gis humanique ingenii præstantiam ar-
guit; ut subtilis rerum naturalium aue
mathematicarum cognitio, antiquita-
tum variarum notitia, critica seu scien-
tia judicandi de bonis & malis libris,
literis & monumentis ingeniorum eru-
ditorum. Huc Poëticam etiam refe-
ras. Cujus utilitas licet tanta non sit,
ut citra eam vita humana minus sit fe-
lix; cultiorem tamen hanc & politio-
rem illam reddere, qvis eruditorum
neget? cum vel condimentum, vel or-
namentum vitæ adferat civili.

§. 7.

INANIS eruditio est notitia com-
mentorum, quibus ingenia otiosa disti-
nentur in claustris & scholis, quæque
nullam in hac vita præstant utilitatem
aut etiam ornamentum: ut maxima
pars Philosophiæ & Theologiæ Schola-
sticæ; magna pars etiam Criticæ in va-
riis scriptorum gentilium lectionibus
colligendis aut censendis occupata.
De qua illud *Martialis II. Epistol. 86.*

exau-

DE ERVDITIONE.

exaudiendum est: *Turpe est, difficiles
babere nugas, & stultus labor est ineptia-
rum.*

§. 8.

Præterea eruditio, ingenii & indu-
striae humanæ ratione habita, in soli-
dam seu accuratam; & tumultuariam
seu superficiariam distingvi solet.
Quando Poiret eruditionem in soli-
dam, superficiariam & falsam dispescit,
usum ejus non tam in schola, quam in
vita Christiana quærerit. Item, si res,
quæ sciuntur, sublimes & vulgares re-
spicis, alia sublimis & recondita, alia
protrita & ubivis obvia dici potest. De
quibus à nobis alibi fusiū actum est.
confer Ger. Jo. Vossii Dissertationem, que
tradit: quibus disciplinis perfecta constet
Eruditio, & Summi Viri, nostri Pufen-
dorffii libr. II. de J. N. & G. c. IV. §. 13.

§. 9.

Hic in feligenda eruditione & ordi-
nandis partibus ejus, prudentia opus
est literaria; ut illa ad usum aliquem

vitæ humanæ, imprimis ad culturam animi promovendam referatur. Recte enim *Lucianus in Convivio*: ὁ δὲν ὅφελός ἐστι μαθήματα, εἰ μη τις ἀρετὴ τὸ Σίον πυθεῖται περὶ βέληνος. Nihil prodest, nosse literas, nisi quis & vitam melius disponat. Qvare *Pacuvius* aquid *Gellium l. XIII. c. 8.* dixit: Ego odi homines ignava opera, & philosophia sententia. conf. *Gellii libr. I. c. 2.*

§. 10.

Non ultima prudentiæ hujus pars est, scire eruditionis discriminem, studiorum scopum atque ordinem, quo in hoc itinere literarum progrediendum, ut diverticula, ambages & flexus devii evitentur. Magna quidem res, ipsum artium & sapientiæ studium est, sed non minor, id instituere recte, & facere gradus, & ordine vero procedere. Qvapropter cum eruditio & studia literarum latissime pateant, dignaque multa sint, quæ in scholis excolantur; pro ingeniorum habitu, pro fortunæ & status conditione, pro fine & scopo, alia

alia aliis pars seqvenda & frequentanda diligentius est. Elegantissimus hic *Edmundi Richerii libellus*, qvi *Obstetrix Animorum* inscribitur, ac prudentem docendi & discendi methodum continet, consuli meretur. Sed nobis pro Facultatū, in quas literarum studia hodie distincta sunt, varietate, ordinem usumque hujus vel illius eruditionis breviter studiosæ juventuti commonstrare, nunc animo sedet.

CAP. II.

De varietate eorum, qui bonarum literarum Studiosi in Academiis audiunt.

§. I.

OMNES, qui eruditionis causa literarum studiis incumbunt, & inde Studiosi, trito apud nos vocabulo, nunc appellantur, certæ eruditionis parti, quæ *Facultas* vulgo dicitur, operam suam potissimum addicere solent. Hinc in quatuor velut genera, secundum Facultatum nomina, illos distingvi notis-

simum est. Prima *Facultas Theologica* ; secunda *Juridica* ; tertia *Medica* ; quarta *Philosophica* appellatur.

§. 2.

Heic quisque illam studii partem seu Facultatem amplecti debet, quam vel ingenii vires, vel fortunæ & conditio- nis vitæ suæ ratio, vel occasio, vel viri prudentes svaserint. Non enim omnia ingenia omnibus apta sunt. Nec ulli facilè hæc ingenii felicitas obtin- git, ut capax omnium, &c., quicquid moliatur, efficiat feliciter. Itaque se- cum quemque habitare oportet, statue- re quoque mature, quo tendere, quemque scopum defigere studiorum in Acade- miis tractandorum velit. Ubi ingenia discentium mature explorare conve- nit. v. *Edm. Richerii Icon. Animorum e. IV. §. 6. seqv.*

§. 3.

Ergo consultandum ante & dispici- endum diligenter est, an Ecclesiæ, an foro, an aule, an scholæ aliquando in- servire

servire velit & possit. Difficile enim
 satis & longum ad veram eruditionem
 in quacunqve facultate obtinendam,
 est iter: tanto itaqvē magis, habita in-
 genii & fortunæ ratione, meta præfi-
 genda est, & vitandæ ambages sunt,
 quo brevior est vita, quam in Acade-
 miis exigere datur. Optandum foret,
 ut imperantes selectum ingeniorum fa-
 cerent mature, ac cui potissimum vitæ
 generi destinari hic aut ille debeat, in-
 dicarent: quo certi de scopo, omnia ea,
 quæ hue faciunt, rectius tractare pos-
 sent. Constituto autem forte studio-
 rum scopo & fine, illæ partes eruditio-
 nis seqvendæ & freqventandæ diligen-
 tius sunt, qvæ ad hunc præcipue faci-
 unt; ne diverticulis studiorum postea
 deceptus, aut erroribus implicitus, vel
 nunquam, vel tardius, quò coepit, per-
 veniat juvenis. Notum Alexandri M.
 celeusma h̄c valeat: Mn̄d̄s avaballé-
 mev Ⓛ

§. 4.

Qva in re, si qvi parum fortassis sibi ipsi consulere possunt , prudentiores audiant magistros, ducesqve eligant & monitis eorum fideliter obseqvantur ; ut qvæ in publicum utilitatis multum præstare possint, addiscant , omisssis inanibus scholarum nugis. Sed heic, ut jam monui, qvemqve tum ingenii, tum fortunæ suæ rationem simul habere oportet. Si qvis indole felici, & benigna simul gaudet fortuna , aut commoda fruitur studendi occasione ; is omnes illas disciplinas & artes, qvæ ad scopum suum ullo modo faciunt , ordine certo ante discat, qvam ipsum, ut loqvuntur, Facultatis certæ studium aggrediatur. Qvibus vero curta suppellex domi est, nec diu in Academiis commorari licet ; iis vel maxime svadendum est , ut viæ compendio usi, statim ac in Academias venerint, in illa studiorum Facultate sedulam & præcipuam collocent industriam, qvam semel amplexi sunt. Val-

lers

DE VAR. STVDIOS. ACAD. II

lere enim tum maximè debet illud Enniani Neoptolemi scitum, apud *Gellium l. V. c. 15. Paucis philosophandum;* in primis, ubi in scholis trivialibus ante lingvarum & artium vulgarium studia excoluerint, atque vitæ & doctrinæ Academicæ sese præparaverint. Tunc lectione, auditione & meditatione opus est. confer *Richerii Icon. Animor. c. 3. § 9.*

§. 5.

Nos jam his velut in proœmii vicem præmissis ordinem & methodum tum in studio *Philosophico*, tum *Philologico*, & aliis doctrinæ partibus partitim ostendere parabimus, indicaturi simul autores, qui in quaque parte juvenibus evolvendi sedulaque manu versandi sint. Deus, qui autor ordinis & fons omnis sapientiae est, regat nos spiritu suo, ne dum viam sapientiae querimus, in devia ipsimet deflectamus.

SECTIO II.

CAP. I.

De Ordinando studio Philosophiæ Theoreticæ.

§. 1.

Cum Philosophia in *Theoreticam*,
seu contemplativam, & Practicam,
seu Activam, vulgo dividatur; prius
de *Theoretica*, qvam de *Practica* diri-
genda dispiciemus. Utriusque vero
instrumentum est *Dialectica* sive *Logi-
ca*. Itaque prius de eadem qvædam
prænotanda veniunt.

§. 2.

Commune scilicet Philosophiæ in-
strumentum est Logica, ὅργανον inde &
τεχνη οἰδησην appellata; à qua pro-
inde in Philosophia initium fieri, ratio
imperat. Per hanc enim cogitationes
hominis diriguntur ad res distinctius
cognoscendas & declarandas. Qvare
& ars cogitandi à multis non inepte vo-
catur.

§. 3.

§. 3.

Occurrunt in illa passim multa nullius, aut modicæ frugis. Idcirco opus est fideli & prudenti præceptore, qvi illa inania ab utilibus discernere doceat. Doctrina de *Prædicabilibus & Prædicamentis* primum delibanda, qvia vocabula, quæ in illis explicantur, crebro in scientiis aliis leguntur. Deinde non perfunctorie doctrina de *Interpretatione & Enunciatione* excolenda est. Nam hac ignorata, nec aliorum qvis, nec suam mentem perspicue & dextre explicabit. Quæ de *Æqvipollentia & propositionibus modalibus intricate* satis traduntur, rectius forte ex Grammatica & genio cuiusq; lingvæ discuntur. Tandem vero doctrina de *Syllogismo & ejus speciebus cognoscenda*; qvippe sine qua, nec res demonstrare, nec de rebus aptè differere qvis potest, cum in scholis forte disputandum est. Alias in dialogis, qvi veteribus sapientibus usitati erant, syllogismis carere licet.

§. 4.

§. 4.

Sicut vero demonstrandi modum *Analytica* docet, ita ad differendum *Topica* ejusq; regulæ in primis inserviunt. Qvæ de *inventione* medii termini & *reductione* secundæ & tertiaræ figuræ *Syllogismorum* ad primam operose traduntur, usum certe nullum habent. De diversis Logicorum methodis nolo hic inquirere. Merentur tamen hic ab iis, qvi ingenio valent, expendi, qvæ sapientissimus *Bac. Verulamius lib. V. de Augment. scient. c. 1.* de partibus qvi busdam Logicis, qvas ille artes vocat, ingeniose differit. Adde excellentissimi *Polyhistoris Morhofi I*, fautoris & amici nostri aestimatissimi, *Polyhist. P. II. c. 4.*

§. 5.

Bene de studioſa juventute merentur, qvi omissio illo ad nauseam in omnibus fere libellis Logicis repetito exemplo, de homine, qvod sit animal rationale, partim ex sacris literis, partim

ex

ex Politica aut Juridica doctrina, nova exempla adducunt, qvibus regulas logicas statim illustrent earumque usum simul ostendant. Modum qvodammodo præivit Neldelius in Prato suo *Logico*. Cui addi meretur Cornelii Martini libellus de *Analysi Materiae & Formæ Syllogismi Helmstadii publicatus*.

§. 6.

Cæterum qvod compendia Logica attinet, varia extant, ut *Melanchthonis Dialectica*, *Crelli Logica* cum notis *Arnisei*, *Cornelii Martini commentarius Log. contra Ramistas*, *Horneji*, *Du Trieu*, *Bechmanni*, *Scharfi* & aliorum libelli logici. Vastos Commentarios, ut *Tolleti*, *Zabarella*, *Favelli*, *Conimbricensium* & similiū, illi evolvant, qvi artem Logicam forte profiteri student. Studio juventi satis est, unum sibi redidisse in scholis familiarem. Diu enim huic studio incumbere inanis labor est, nisi ad usum simul transferatur, qvod lauda-

Iaudatus jam *Morboſius P. II. c. XI. Polib.* ſvadet. Alia qvippe logica eft tyronum, qvæ in notionibus, qvas vo-
cant, ſecundis occupatur; alia eft vi-
rorum de rebus philosophantium. Hæc
vere eft *ars cogitandi*.

CAP. II. De Studio Metaphysico.

§. I.

ET si *Plutarchus in Alexandro de Metaphysicis Aristotelis* non admodum præclare ſentit. Αληθῶς, in-
qvit, η μετὰ τὰ Φυσικὰ περιγμάτεια,
ωςδέ διδακναλίαν ηὴ μάθησιν χόρεν ἔχει
χεήσιμον, h. e. Revera commentarius il-
le *Metaphysicus ad docendum vel discen-
dum nihil habet compendii*; non tamen
ideo ejus ſtudium plane contemnen-
dum venit. Nam poſtea qvam termini
*Metaphysici à Johanne Damascoeno in-
ter Græcos, & Petrou Lombardo pri-
mum, poſtea vero Scholasticis Theolo-
gis, Theologiæ admixti fuere*, nullus
hodie

hodie in Theologia polemica felices
 progressiones absqve illorum notitia
 faciet. Deinde etiam nulla fere scien-
 tia seu philosophica, seu juridica est, in
 qva non legantur termini Metaphysici;
 qvippe qvibus vel definitiones vel di-
 stinctiones rerum rotundius exprimi
 solent. Qvapropter etiam Hugo Gro-
 tius in *Epistola ad Benjaminum Maure-*
rum, Legatum Regis Galliæ, svadet pri-
 mam Philosophiam, h. e. Metaphysi-
 cam delibare. At illius studio immer-
 gi, aut etiam eō consenescere velle, Ja-
 cobus Focanus, *Dissertat. de Studiis*, ma-
 gnopere reprehendit. *Profecto Patres*,
 inquit, antiqui, viri pii & docti & ma-
 gni Theologi, huic studio Metaphysico at-
 que Aristotelicae Theologie non ita indul-
 serunt; imò à viris doctis obseruatum
 est, qvò qvis magis Aristotelicus esset, eō
 minus Christianum fuisse: ut non vane
 Melanchthon dixerit; non sapere Chri-
 stum tali palato, qvod Aristotelicis argu-
 tiis infectum est. Adde, qvod olim mul-
 ti

ti viri docti, Origenes, Clemens Alexandrinus, Justinus, Augustinus & alii, ex Platonis schola ad Ecclesiam Christianam transferint; sed nulli, aut certe pauci ex schola Aristotelis, qui Metaphysicis ejus speculationibus & argutiis infetti erant. Et paucis interjectis, pergit: Et quis dubitat, in Papatu ante aliquot secula per scholasticos doctores, Thomam, Scotum, Bonaventurum & alios, Aristoteli & ejus philosophicis tricis, & nugis nimis addictos, Theologiam non solum contaminatam & profanatam, sed penitus corruptam & extinctam esse? Nicolaus Beroaldus apud eundem Focanum, de Metaphysica Theologia loquens, diserte ait; illos, qui sophisticis istis nugis & frivolis argutiis dediti sunt, non rebus ipsis, sed rerum umbris falsis que imaginibus inherere; & longe falli, totaque via aberrare. Non enim (inquit) studiosorum ingenia exacuant captiuncula istae, & tricae spinosae, (ut plerisque persuasum est;) sed mentis succum

cum omnem exhauriunt, adeoque à pietatis studio multos abducunt, &c.

§. 2.

Verum media hic via incedendum; ne illam vel contemnamus penitus, vel cum Scholasticorum turba, ex eadem faciamus realem disciplinam, qvalis forte Aristotelis videri potest, qvi primam substantiam immobilem, h. e. DEUM in ea simul contemplatus est. v. l. IV. Metaphys. c. 2. & Philosoph. Altorf. p. 519. 520. Scholastici, qvi omnem pene solidam philosophandi rationem perverterunt, per nescio qvas abstractiones, ens quatenus ens, in abstractione à Deo & creaturis, à substantia & accidente sumtam, Metaphysicæ suæ objectum fecere, eamque parum apte reginam scientiarum appellarunt; cum servæ vicem in aliis scientiis obire soleat. Sanè, qvi illam pro scientia vera dicta venditant, apud rerum gnavos non facile fidem invenient.

§. 3.

§. 3.

Ultimum hujus erroris fontem B. Socer meus Jacobus Thomasius, in *Historia variae fortunæ*, qvam disciplina Metaphysica subiit, sub finem Erotematum suorum *Metaphysicorum*, erudite detectum; ostendens, Metaphysicam Scholasticorum, qvæ in Scholis & Academiis docetur, non nisi *Lexicon* qvoddam *Philosophicum* esse, in formulam scientiæ redactum, quo nemo eruditorum carere facile possit. Qvis enim vocabula, trita licet in Scholis, ut *entis*, *essentiæ*, *personæ*, *potentiarum*, *actus*, *causarum*, *effecti*, *necessarii*, *contingentis*, *totius*, *partium*, *unionis*, *positivi*, *privativi*, *distinctionis*, *oppositi* & *similia*, recte, sine Metaphysicæ ope intelligat, aut exponat? Ned dicam majorem Theologiae polemicæ partem, scholarum fortitudino, his vocabulis involutam esse. confer illustris Dn. SeckendorffI, Patroni mei faventissimi, Christen-Stats t. III. c. VIII.

§. 4.

§. 4.

Magistri ergo in hac eruditionis parte consulendi sunt, qui eam perspicue tradiderunt; ut *Cornelius Martini*, & *Hennings Arnisaeus*; vel qui uberioris hanc doctrinam explicatam dedere, *Scheiblerus*, *Ebelius*, *Jacchæus*, *Jacobus Martini*, *Stahlius*, & *Weisius*, *Professor Gieffensis*. Grandiores commentarios reliquerunt *Francisc. Suarez*, quem magno numero secuti sunt alii ex Scholasticorum natione, *Fonseca*, *Mendoza*, *Capreolus*, *Arriaga*, & multi alii, quos evolvere non nisi illis, qui otio abundant & tricis delectantur, svaldemus. Studiosos Theologiæ polemicæ, post compendium aliquod evolutum, *Kesleri Metaphysicam Photinianam*, & *B. Calovii Metaphysicam divinam*, inspexisse aut evoluisse non poenitebit. Juris autem cultoribus sufficit, compendium aliquod perlustrasse, ut terminorum passim obviorum notitiam sibi comparent. Tale *B. Thomasi Ergemata Metaphysica* præstant.

CAP.

CAP. III.
De Studio Physico.

§. I.

SCIENTIÆ NATURALIS sive PHYSICÆ studium cum non minus jucundum, quam utile sit, omnibus omnino honestæ doctrinæ cupidis commendari debet. Quid enim *jucundius*, quam mundi hujus aspectabilis partes & varia corpora, horumque seriem atque connexionem inter se contemplari elegantissimam? Quid magis animum hominis, præsertim Christiani, afficit, quam explorare cūjusque corporis vires, quibus Creator sapientissimus & benignissimus quodque ad usum hominum instruxit? Magna illa quatuor corpora, quæ Elementa dicuntur, animatis & inanimatis inserviunt: inanimata vivis, inter viva stirpes & plantæ animalibus, inter animalia pecudes homini; ita ut propter hominem universa corpora Deus; hominem

minem vero propter seipsum produxisse dici queat.

§. 2.

Utilitatem Physice doctrinæ qvisque in aliis studiorum generibus deprehendet. Qui se Medicinæ studio destinavit, is ab hac scientia studium suum ordiri debet. Qvia, si naturæ corporis humani, illa parte, qva laborat forte morbo, opitulari vult; non tantum fabricam corporis humani, temperamentum hominis, & seriem causarum atqve effectum naturalium nosse convenit; sed oportet qvoqve vires rerum naturalium, unde in triplici naturæ regno, animali, vegetabili & minerali, medicamenta præparari solent, scire. Si qvis morali aut juris studio incumbit, tum animæ nostræ naturam, facultates ejus, functiones & affectus explorare; tum etiam corporis hnmani partes vitales, & qvid eas lœdat, vel immiuat, nosse maximè conductit. Usum ejus in jurisprudentia uberiorēm, Paulus

lītū

Ius Zachias, Medicus Romanus, in Questionibus Medico-legalibus ostendit.

§. 3.

Majorem adhuc utilitatem ex Physica percipit Theologus, qui S. Scripturam interpretari, aut bonitatem, sapientiam atque potentiam Dei infinitam, ex lumine naturae declarare satagit. Has enim virtutes nullo efficaciori argumento, gentilibus demonstrari posse, nisi ex machinæ hujus mundanæ visibilis compage, & corporum in ea comprehensorum magnitudine, pulcritudine, artificio & conservazione, ipse gentium Apostolus *Rom. I. 19. 20.* docet. Quem usum illa in expositione tum historiæ creationis, tum multorum aliorum S. Scripturæ locorum; in primis *Job. XXXVII.* usque ad *XLI.* cap. item in locis propheticis & parabolis *Matth. XIII. v. 7. & 1. Cor. XV. v. 36.* seqq. præstet; peculiaribus commentariis certi autores ostenderunt: ut *Valesius in Philosoph. Sacra;* *Daneus*

in

in *Physica Christiana*, *Johannes de Mey*
 in *Commentariis Physicis*, qvibus loca a-
 liqvot selecta V. & N. T. illustrat, *Vossius*
de Theologia gentili, *Valentinus Henri-*
cus Voglerus, in *Commentario de Rebus*
naturalibus ac medicis, in *scripturis sa-*
cris; *Sam. Bochartus in Hierozoico*,
Franzinus in historia Animalium, qvæ
 cum eruditis nostri collegæ honoratissimi
L. Cypriani commentariis prodiit, *Bar-*
tholinus in Arboreto Biblico, nec non tra-
ctatu de Morbis Biblicis, & alii.

§. 4.

Enimvero cū ut olim, ita nostro tem-
 pore, *Physicorum certæ existant Sectæ*;
 ita ut alii sint *Peripatetici*, alii *Cartesia-*
ni, alii *Helmontiani*, alii *Sperlingiani*,
 alii denique *Ecclesiæ*; tironi *Physicæ*
 svaserim compendii alicujq, ut *Sperlin-*
gii, *Sturmii*, *Bartholini*, *Sengverdi* aut
 similis lectionem, qvæ & futuro JCto &
 Theologo usum præbere potest. Si vero
 quis se fere preparat Medicinæ studio, il-
 lum *Physicæ Cartesianæ*, *Helmontia-*

B

næ

næ & Democriteæ peritum esse oportet. Qvia Medici recentiores horum Physicorum fundamentis, multas assertiones superstruere solent. Itaque Joh. de Raci Clav. Philos. Natural. seu introductio ad Naturæ contemplat. Aristotelico-Cartesi. Jacobi Rohaulti, Sengverdi, Du Hamel, cl. Sturmii & similium Cartesianorum recentium commentarii Physici cum ipsis Cartesii scriptis evolvi possunt. Democriti Physicam Gas-sendus, & Joh. Chrysostomus Magnus in Democrito Revirescente exposuerunt. Helmontii principium de Aqva Domini-nus Boyle, nobilissimus Anglus declaravit & defendit. Ex Aristotelicis & Scholasticis Jacob. Zeisoldum, Tole-tum, Pererium, Zabarellam, Conim-bricenses & Ruvionem aliqui commen-dant. Sed horum & similium mentem breviter & perspicue tironibus B. no-ster Thomasius in suis Dialogis Physicis exposuit, & quandoque, adspersis recentiorum Physicorum sententiis, cor-rexit.

rexit. Præstat in hac scientia εὐλεκτικὸν
esse, quām se uni tantum magistro man-
cipasse; in primis cum seculi nostri cu-
riositas, variis quippe adminiculis in-
structa, subinde nova, veteribus igno-
rata aut quæ incredibilia visa sunt, dete-
xerit. Clariss. Sturmii Physica Eclecti-
ca præ ceteris hic commendari mere-
tur.

CAP. IV.

De Studio Mathematico.

§. 1.

MATHESIS, quæ τὸ πνεῦμα καὶ τη-
λίκον, quotum & quantum h. e.
numerum & magnitudinem, vel una
voce, quantitatem, quatenus a materia
singulari & sensili abstracta est, consi-
derat; dividitur in puram & mixtam.
De utraqve, ductu Gerb. Job. Vossii libr.
de universæ Matheſeos Natura & Con-
ſtitutione, pauca diſſeram. v. Sturmii
Matheſin Enucleatam & Medicinam
Mentis illuſtris Domini a Tſchirnhaus,
p. 242. seqq.

B 2

§. 2.

§. 2.

Mathesis pura considerat *quantitatem* plane abstractam; ut *Arithmetica* *quantitatem* discretam seu *numerum*; *Geometria*, *quantitatem* continuam, h. e. *magnitudinem*. Numerus autem est *multitudo* ex *unitatibus* collecta; unum enim est *semen* seu *initium* *numeri*, non ipse *nummerus*. Pythagoreorum judicio, referente Proteo, primum sapientiae opus est, numeros scire; alterum sermocinari.

§. 3.

Geodesia est scientia bene metiendi; puta omnia, quæ *materia* constant, etsi a solius terræ dimensione nomen compositum sit. Illa quatenus *theoretica* est, varias continuæ *quantitatis* proprietates ac proportiones de *subjecto* suo demonstrat; quatenus autem *practica* est, metitur *lineas*, *superficies* & *solida*. Demonstrationes ejus evidenterissimæ sunt: Hinc *Seneca l. i. Natural.* quæst. ait: *Rationes, quæ à Geometris adferuntur,*

feruntur, non persuadent, sed cogunt.
Hanc primum inter Græcos literis
mandavit Euclides, opus suum Elemen-
ta inscribendo, quod libris XV. constat,
in quos Clavius commentarium scripsit.

§. 4.

Mixtae Mathefædæ disciplinæ, quæ
cum re sensili aliquatenus concretæ
sunt, numerantur sex, *Canonica* sive
Musica, *Logistica*, sive *supputatrix* vel
calculatoria; *Optica* sive *perspectiva*,
Geodesia, *Cosmographia* & *Mechanica*.

§. 3.

Logistica & *Musica* subalternatæ sunt
Arithmeticæ: *Optica* & *Geodesia*, *Cos-
mographia* & *Mechanica*, ex Geometria
originem ducunt. Inde apparet, Arith-
meticam & Geometriam primum dis-
cendas esse, deinde reliqvas. *Cosmo-
graphiæ* partes sunt Astronomia, Geo-
graphia & Chronologia.

§. 6.

Mechanica, quæ est ars ex Mathema-
ticis & Physicis rationibus, efficiendi
machinæ

machinas & organa mirandi effectus.
Usus ejus est in Architectura, arte nau-
tica ac militari: item in rebus œcono-
micis & artibus sellulariis. v. *Jung-Ni-
ckel Clavem Machinarum, & Bækleri
Theatrum Mechanic.*

§. 7.

De usu scientiarum mathematica-
rum multiplicitum in aliis artibus, tum
in tota vita humana, pauca monebi-
mus. Ac qvod Geometriam primum
attinet, illa reddit ingenia solertia.
In Geometria, inquit *Qvintilianus l. I.
c. 16.* partem fatentur esse utilem tene-
ris æstatibus: agitari namque animas
atque acui ingenia; & celeritatem per-
cipiendi venire inde concedunt. Hinc
Plato libr. VII. de Reipubl. ait, Mathesi
imbutos eis ποίησα τὰ μαθήματα δέξεις
Φάινεται, ad omnes disciplinas acres
promtosque apparere. *Lactantius l. III.
c. 24.* Grammatice multos annos aufe-
rat, necesse est: Nec oratoria quidem
ignoranda est: Geometria quoque &
Musica

Musica & Astrologia necessaria est ;
 qvod hæ artes cum Philosophia habent
 aliquam societatem. Sic in scientia
 naturali & Medicina Geometria mani-
 festum usum præstat , ut corporis hu-
 mani fabrica , muscularum tendines,
 hic in ossium capita, alibi in os medium
 insertæ cognoscantur. Et , si DEUS
 juxta librum *Sapient.* c. XI, 22. omnia
 in mensura, numero & pondere dispo-
 suit: opus est mathesi, ut sapientissimæ
 creatoris sapientia inde demonstrati
 possit. *Hippocrates* Cous hanc ob cau-
 sam epistola sua *Theffalo* filio præcipit,
 ut Arithmeticam & Geometriam di-
 sceret, non ad splendorem vitæ, sed ad
 usum artis medicæ.

§. 8.

Utilitas Matheseos in Architectonica
 maxime elucet, qvippe qvæ præst stru-
 cturæ ædium , sine qvibüs evitare inju-
 rias aëris, resqve nostras tueri haut pos-
 sumus. *Architefttonica* enim munit ur-
 bes, & militaris architecturæ beneficio

castra metamur, acies struimus, dentamus, porrigitus. confer. *Platon. l. VII.*
de Republ. edit. H. Steph. tom. 2. p. 526.

§. 9.

Usus *Arithmeticae* in re familiaris, in mercatura & in ipsa Theologia est longe maximus. Hinc *Augustinus libr. de Arithmetica* ait: *Nemo ad rerum divinarum humanarumque cognitionem accedat, nisi prius numerandi artem addiscat.* Nam qui hanc callet, ostendet, ut in fabrica arcæ Noë receptacula fuerint constructa, quæ omnes caperent animalium species: *Arithmeticus ostendet, ut ab octo animabus intra 200. annos potuerit existere tanta hominum copia, ut monarchia conderetur Assyriorum.* Etiam ostendet, ut ex LXX. Israëlitis, qui ingressi in Ægyptum fure, post annos 215. propagari potuerit tanta hominum multitudo, quam Moses eduxit. *JCtis arithmetica usum affert, cum de ære dividendo, aut usuris & interusurio sententia pronuncianda est.*

§. 10.

§. 10.

Geometriae usus ulterius in multis disciplinis Philosophicis non tantum, (ut organo Aristotelis, Ethica Aristotelis, cum de justitia agitur) adparet; sed etiam in Jurisprudentia, cum de agro & fundis dividendis quæstio est. In Theologia, cum de structura tabernaculi, templi Salomonis, & sancta illa Ezechielis civitate agitur, prodest. Nam hæc sine Geometrica scientia, nec intelligi nec explicari possunt. v. Tāqret Euclidem.

§. 11.

Logistica mercatoribus & æratii præfectis necessaria est. Nec sine hac belli dux phalangem Macedonicam, aciem tripartitam Romanam, hastatorum, principum & triumvirum rectè ordinabit. Logisticæ beneficio præfectus annonæ colligit, quæ ad vitam necessaria sunt alendo exercitu.

§. 12.

Musice non finit animum torpere;

B 5

sed

sed excitat, qvod Græci à vappimisq; di-
cunt. Abstergit molestiam laboris,
imò in re militari usum habet:

*Ære ciere viros, Martemq; accen-
dere cantu.*

Confer Lipsium l. V. de Militia Rom.
Dialog. X. Ipse Apostolus canendi mo-
rem in Ecclesia Coloss. III, 16. & ad Eph.
V. 19. commendat. Nam cantus divi-
nus animos à curis humanis abducit,
eosq; ad meditationes rerum cœle-
stium elevat. confer Eryci Puteani Mu-
sathenam cap. 6. & 12. & Jo. Alberti
Banni Dissertat. Epistol. de Musicæ Na-
tura, origine, progressu & denique studio
bene instituendo, ad Petrum Sciverium,
Polyhistora.

S. 13.

Optices dignitas & utilitas in cognoscenda cujusq; rei magnitudine, altitudine & distantia non tantum cernitur; sed ejus beneficio Physici & Astro- nomi miranda naturæ tam cœlestis, qvam elementaris deprehenderunt.

Nam

Nam tubo dioptrico maculas solis, lunæ superficiem inæqvalem, viam lacteam esse condensationem stellarum minutarum; venerem lunæ instar nunc plenam esse, nunc in cornua abire, & multa alia Astronomi observarunt. Archimedes ejus usum in re bellica demonstravit, qvando naves Marcelli Syracusas obsidentis accedit. Non dicam, qvid statuarii & pictores huic arti debeant, si qvidem excellere in sua arte velint. Senes ac myopes ejus usum in conspicillis agnoscunt atqve sentiunt.

§. 14.

Geodesia utilitas summa est in agris metiendis & finibus designandis. In bello indicat montium turriumque altitudines, latitudines fluviorum, rationem dirigendi tormenta bellica; maximè in Poliorceticis commodum præstare periti belli duces fatentur. Qvare Polybius l. IX. concludit, talia ignorare non debere ιγειδα καὶ πολιτεύεσθαι

B 6

βελο-

βελομένες, qvi exercitum ducere vel
rempubl. administrare volunt.

§. 15.

Cosmographia Astronomiam & Geographiam complectitur: qvia est totius orbis, sive compagis cœlo & elementis constantis, artificiosa descriptio. Astronomie (qvaे veteribus etiam Astrologia dicitur) nobilitas & utilitas multis modis probari potest. Nam primo confert ad pietatem excitandam, cum cœlorum machinam describit artificiosissimam & planè admirandam; ex qua tum Creatoris sapientia, tum potentia ac providentia elucet. Hinc *Job. XXXV, 5.* monemur: *Suscipite cœlum, intuemini & contemplamini ætherem:* qvippe qvæ gloriam Dei enarrant. *Psal. XIX, 2.* Deinde usus ejus maximus in Politia deprehenditur. Nam motus cœlestis nobis est norma temporis, in vita nostra dimetienda, in contractibus ac aliis negotiis, ubi nota temporis, quæ ex motu corporum cœlestium solis &

lunæ

lunæ æstimator, addenda est. Non dicā de usu ejus in agricultura & œconomia rurestri, qvem *Virgilius in Georgicis* ostendit; nec de usu in re medica, qvem *Hippocrites Sc̄t. IV. aphorism. 5.* observat. Sed tantum addo controversiam de termino Paschali, in veteri Ecclesia vehementer agitatam, & in concilio Niceno decisam, non posse sine Astronomia ope intelligi. Qvod cum Dani & Sveci deprehenderunt, terminos festorum ex astronomica scientia, baculo inciderunt. vid. *Olai Magni Histor. Septent. l. XVI. c. 20.* & *Olaum Wormium in Festis Daniis l. 1. c. 2. & 3.* & seqq. nec non *Magni Celsi Computum Ecclesiasticum. Upsaliæ anno 673. editum.*

§. 16.

Ad Astronomiam reducitur *Chronologia* seu doctrina temporum, qvæ sine Astronomia intelligi neqvit. Cujus fructus non tantum in historia, sed maximè in S. Scripturæ interpretatione elucet. *Qvis enim prædictiones Pro-*

pheticas, ut Danielis de hebdomadi-
bus, & Johannis Apocalypsin interpre-
tabitur; nisi Chronologiam in subsi-
dium vocet? Fatetur hoc *Johannes*
Funccius, insignis Chronologus, in *præ-*
fatione Chronologie sue. Confer *Scali-*
geri, *Petavii*, *Lydiari*, *Calvisii* & *Strau-*
chii opera chronologica.

§. 17.

Geographia, qvæ orbem terrarum
describit, tum qvoad totum, tum qvoad
partes ejus, usus in historia & politica
manifestissimus est. Nam res, qvas hi-
storia exponit, in terra aut mari gestæ
sunt. Qvare nemo historiam sive ve-
terem sive recentem sine *Geographiæ*
auxilio, vel cum jucunditate leget, vel
etiam satis intelliget.

§. 18.

Mechanice, qvæ rationem non tan-
tum efficiendi machinas & organa mi-
randi effectus ostendit; sed usum vectis,
trochlearœ, cochlearœ & similiū instru-
mentorum tradit, vitæ humanæ utili-

tati

tati apprimè subservit. Eqvidem hoc videtur ad mechanicos pertinere: Verum causas artium mechanicarum demonstrare, ad scientias philosophicas, maxime ad Physicam & Geometriam sp. etat. Ideoque Matheseos pars est, in quā Archimedes olim excelluit. Nostro tempore Germani, Galli & Angli eandem excolere haud segniter studuerunt. *Scriptorum Mathematicorum chronologiam Vossius* libro supra allegato subjunxit: unde, qvi in qvavis parte excelluerint, cognosci potest. Circa methodum tractandi mihi lectu digna

M. Hortensii dissertatio videtur,
qvam hic subjungam.

M. HOR-

M. HORTENSII
Dissertatio de studio Ma-
thematico recte instituendo,
ad V. C.

MARCVM ZVERIVM BOX-
HORNIVM.

QVÆ super dissertatione de studio Mathematico recte instituendo non ita dudum coram differuius, vir clarissime, ea paucis in chartam conjecta, qvia ita postulabas, conspectui tuo fisto & offero, non ut singulare aliquod cimelium, sed qvia pro amicitia nostra, petitioni tuæ omni modo duxi satisfaciendum. Verborum lenocinia, & affectatam dictionis elegantiam hic ne queras. Sacra ista sine omni pompa tractari amant, & ut Mathesis ipsa per se ornari negat, contenta doceri; ita animus est, ab omni fuso temperata manu, rem ipsam nude proponere. Sic ergo habe. Qvicunqe Mathematicæ scien-

scientiæ operam dare vult, ante omnia
certum sibi scopum proponere debet,
nec temere per omnes ejus partes, qvæ
variæ sunt ac vastæ, vagari. Nam aut
perfectam Matheſeos notitiam affe-
ctat; aut tantam modo, qvæ ſufficiat
ad reliqua ſtudia felicius pertractanda.
Si prius; ſciendum, non ſine labore ac
temporis impendio, tum præcipue cer-
to duce atqve ordine, eo perveniri. Si
pofterius; res qvidem tanta difficulta-
te non conſtat; at interim conſilio
qvoqve indiget; nec ſine justa metho-
do incœptanda. Qui mathematicus
audire cupit, non *Arithmetican* modo
& *Geometrian*, qvæ Matheſin proprie-
dictam & ab omni materia abstractam
conſtituunt, verum & *Astronomiam*,
Geographiam, *Opticam*, *Mechani-
cam* & *Staticam*, *Musicam*, *Geodesiam*
& *Architecturam militarem*, probe cal-
leat, oportet, ceteris qui gusto aliquo
Matheſeos contenti eſſe volunt, partes
aliqvæ

aliqvæ ad libitum eligendæ , & in iis tantum comparandum exercitium , quantum rebus suis & studiorum instituto censem convenire. Ita multos hodie videoas , qvæ usum & praxin hujus aut illius partis sectando , de plenaria ejus & fundamentali notitia parum sunt solliciti. Paucos contra invenias , qvi puram illam & abstractam Mathematicin ita penetrent , ut se nomine Mathematicorum ex merito dignos esse ostendant. Ut autem quantum licet , utrisque satisfaciam ; viam indicabo , qvæ qvis e tyrone aut perfectus Mathematicus evadat , aut eam saltem cognitionem acquirat , qvam animo ac voto suo satisfacturam esse , prorsus confidat .

Igitur , qvoniam *Arithmetica* & *Geometria* solæ per se constant , ceteræ partes absqve his minime : & in Geometria multa occurrunt , qvæ etsi demonstrationes suas habeant , per numeros tamen plurimum illustrari solent ad captum iacipientium : in id tyroni unice

nice incumbendum, ut anteqvam ad Geometriam accedat. Arithmeticæ vulgatis aliquam sibi comparet peritiam: idqve aut e viva præceptoris voce, aut ex libellis minus obscuris, qvales sunt Arithmeticæ Gemmæ Frisi, Mala- pertii, Rami cum notis Snellii, Lauren- bergii &c. Sufficiet autem nosse qua- tuor species in integris & fractis, tum regulam auream, & qvædam de num- morum reductione ac proportione. Hinc ad Geometriam se conferat, o- mnium aliarum matheſeos partium, at- qve ipsius adeo Arithmeticæ basin ac fundamentum. Ac perceptis probe Definitionibus, Postulatis, Axiomati- bus, ipsa aggrediatur Elementa, ab Eu- clide mirando ingenio & arte concin- nata, & ad posteritatem transmissa. Hic diligentem se præbeat & impigrum ad labores: &, si fieri possit, explicantem ea audiat magistrum; sin minus, com- mentatores adeat ſelectiores, Clavium, Candallam, Commandinum, Dibua- dium

dium. Commaninum præ ceteris commendarem, nisi vitiosissime esset editus; nec tacere in Rhodium, nisi in quibusdam propositionibus demonstrandis invenissem minus felicem. Ergo Clavio potius adhærebat; eique adiicit Henricum Savilium in 8. priores Propositiones Euclidis, & Proclum in librum ejus primum. Nullum hic tedium objiciat, aut ad compendia quædam Geometriæ deflectat. Devoranda semel omnis molestia; & ut nucleo potiatur, putamen, et si durum, frangendum. Ramum si cum Euclide conjungere velit, esto, ob brevitatem propositionum, & ad juvandam memoriam, non ut adhærebat aut seqvatur. Dedit ille vir nobis hortulum amoenis aliquot floribus constitutum, sed qui nulla ratione cum pomario Euclidis, & cultissimo Geometriæ agro, quem ejus Elementa aperiunt, veniat comparandus. Itaque Euclidem.

Noctur-

Nocturna versetqve manu , verset-
qve diurna .

Mirum enim , quantum ad firmandum
judicium faciat liber iste , ubi quis sedu-
lo inqvirit in processum Demonstra-
tionum , & unius Propositionis ex alte-
ra deductionem , atqve huic ratiocina-
tiones suas & discursus mentis studet
conformare . Nec gressum teneat , aut
iter semel incepturn mutet , si alibi spi-
næ occurrant & remoræ qvæ cogant
interdum subsistere . Illud perpetuo
mente impressum habeat , qvod ipse
Euclides olim regi Ptolomæo primo ,
interroganti , num brevior aliquæ ad
Geometriam via esset hac i[n]stitutione
elementari ; respondit , nempe nullam
esse , qvæ ad Geometriam ducat , viam
Regiam .

Perceptis sex libris Elementorum
prioribus , animum applicet ad doctri-
nam Triangulorum planorum , & Geo-
desiam , non neglecta interim Cyclo-
metria . Et in doctrina qvidem Trian-
gulo-

golorum planorum præ ceteris legat
 Regiomontanum de Triangulis, Lans-
 bergii Geometriam Triangulorum,
 Trigonometriam Pitisci & Snellii, Fin-
 ckii Geometriam Rotundi. Geodæsiæ
 præcepta hauriat ex Orontii Finæi,
 Clavii, Metii & Stevini Geometria pra-
 ctica. Cyclometrica petat ex Finckii
 Geometria Rotundi, Cyclometria
 Snellii, Longomontani, Lansbergii,
 Ludolphi a Cöllen, Adriani Romani,
 & ob notabilia Φευδογεαθριατα Josephi Scaligeri. Postquam in his satis se
 exercuit, tres seqventes Euclidis Libros,
 septimum nempe, octavum, & nonum
 perlegat; ac simul ad intimorem A-
 rithmeticæ cognitionem adspiret.
 Huic instituto servient Arithmetica
 Stifelii, Algebra Clavii & Rami, Lu-
 dolphi a Cöllen Arithmetica Surdo-
 rum, aliiqve. Decimum Euclidis li-
 brum ne attingat, nisi prius artem Ana-
 lyticam penitus inspexerit; cuius præ-
 cepta petenda erunt ex Isagoge Zeteti-
 cis,

cis, aliisque tractatibus Francisci Vietæ, ex libris Geraldī de Resolutione & Compositione Mathematica, scriptis Andersoni, Cyriaci, aliorumque. Qvæ tamen ut felicius asseqvatur, ex usu erunt affectiones quantitatuum generales ediscere, qvæ sub specie quadam Matheſeos universalis adumbratae sunt ab Adriano Romano in Cyclometricis: atqve ita quasi habitum quendam acquirere, quantitates abstractas variis modis inter se comparandi. Dum in Analyticis versatur, Problemata omnis generis sibi resolvenda proponat: quoram sylva quædam offertur in scriptis Ludolphi, Andersoni, Vietæ, Pappi Alexandrini, quoad Geometriam; Diophanti quoad Arithmeticam. Atque interim & decimum Euclidis librum absolvat, & tres seqventes qui agunt de solidis. His vero degustatis, ad Archimedem & Pappum se conferat, & qvæ ipsi circa solidorum doctrinam tradunt, studiosissime evolvat.

Pro

Pro praxi autem Stereometriæ legat Joh. Bayeri & Kepleri Stereometricam doliorum vinariorum. Tandem ut studio geometrico colophonem imponeat, ne dubitet se diffundere per Heliæ Archimedis, & Conica Apollonii, & Problemata, qvæ ad istam materiam pertinentia passim in aliis offendet auctoribus, via Geometrica & Analytica, continuo exercitio resolvere.

Hac semita qvi incedit, studio Geometriæ tandem se aptum præstabit ad percipiendas nullo fere labore ceteras Matheseos partes, in qvibus si quis operam suam non male collocatam velit, tali fere modo in singulis progrediatur. In Astronomicis a doctrina Sphærica initium faciat, legendo institutio-nes Astronomicas Peuceri, Metii, Mæstlini, Crugeri, & Commentaria Clavii in Sphæram Joh. de Sacrobosco. Perceptis autem artis terminis & usu circulorum, doctrinam Triangulorum Sphæricorum peritissime ediscat: tam per

per tabulas sinuum, Tangentium & Se-
cantium, qvam per Logarithmos. At-
que heic adeat modo dictos, Lansber-
gium, Pitiscum, Snellium, Finckium :
& pro notitia Logarithmorum, Nepe-
rum, Benjam. Ursinum, Keplerum, &
Gellibrandum in Trigonometria Bri-
tannica. Problematum sphæricorum
resolutionem petat ex Ptolomæi libro
2 Almagesti, Longamontoni Astrono-
mia Danica, Neperi Logarithmis & in-
stitutione Astronomica Crügeri. Do-
ctrinam Horologiorū Solariū & Astro-
labii, ex Gnomica Clavii, Astrolabio e-
jusdem, & Gemmæ Frisi Astrolabio Ca-
tholico. Ubi vero satis diu in sphæricis
versatus fuerit, ad Theorias Planetarum
transeat ; & perfectis Theoriis Planeta-
rum, Purbachii cū commentariis, Rain-
holdi aut Christiani Wurstishi & Schre-
ckenfuchsii ; Theoriis item Magiri &
Mæstlini, ad ipsos fontes Artis prope-
ret, Ptolomæum cum expositore Theo-
ne, & Copernicum cum narratione
Rhetici, in qvibus si qvæ ardua & diffi-

C

cilia

cilia occurrant, ad institutionem præceptoris configiat potius, qvam tempus frustra, proprio Marte sudando, conterat. Pertractata Astronomia veteri, recentiorum scripta evolvat, scilicet Progymnasmata Tychonis Brahe, Astronomiam Danicam Longomontani, Lansbergii Progymnasimata de motu solis, & Theorias, Kepleri Epitomen Astronomiæ Copernicianæ. Commentaria de motu maris & Tabulas Rudolphinas; nostrasqve, qvarum editionem propediem meditamus, controversias Astronomicas, atqve in calculo Astronomico strenue pro supputandis Planetarum locis & Eclipsibus se exerceat; ubiqve, si opus sit, implorato auxilio præceptoris, qvod nisi ipse cum danno meo expertus essem, quid sit sine duce in istis autoribus vagari non tantopere svaderem.

In *Geographicis*, post rudimenta Cluveri, Bertii, Apiani, Ptolomæum consulat & Ortelium & Mercatorem, ac crebra

DE SVTD. MATHEMATICO. 51

crebra Tabularum Geographicarum inspectione, ideam universi orbis terrarum, quantum potest, menti suæ in primat. Nec omittat artis nauticæ doctrinam petere ex Metio de usu Globorum, Snelli Typhi Batavo, Petro Nonio, Stevino.

In *Opticis & Catoptricis*, præter Euclidem de ista materia, adeundam habebit opticam Rhodii, Risneri, Agvi-
Ionii, Kepleri; Maurolycum de Lumi-
ne & umbra, Perspectivam Ro^gii
Bacchonis, & tandem opus ipsius Vi-

lonis principis opticorum. In Dioptricis legendi erunt tractatus Scheineri de Oculo, de Refractionibus cœlestibus, de Maculis solis, nec non Sirturi Telescopium, & Dioptrica Kepleri. In Schenographia, qvam Perspectivam vocant, Gvidi Ubaldi Perspectiva & Stevini; aut si Gallice norit, Marolosii;
si Italice, Vignolæ.

In *Musica* apud Latinos inveniet Boëthium, Fabrum Stapulensem, Hen-

C 2 rici

rici Glareani Dodecachordum, Kepleri Harmonicen Mundi, & opus Musicum recens M. Mersenni; apud Italos Zarlinum & Galilaeum; qvi vel curiosissimo satisfacere queant in universa Musices tam Theoria quam praxi.

In rebus Mechanicis & Staticis evolvat Mechanicam Aristotelis & Gvidi Ubaldi, Pappum Alexandrinum, Stevinum de Isorhopicis, Archimedem & Galilaeum de iis quae vehuntur in aqua, & ob materias mixtas Vitruvium, Cardanum de subtilitate & rerum varietate, & Joh. Baptista Porta Magiam naturalem.

In *Architectura militari* præcipui hodie censemur, Speckelius, Barleduc, Maroloisius & recentior Freitagius. Ex his quæcunque ad muniendas & oppugnandas civitates præcipiuntur ex usu militiae hodiernæ, Geometriæ cognitione instructus, nullo negotio hauriet; modo idiomatis Gallici aut Germanici, quo in libris suis utuntur, non sit omnino ignarus.

At-


Atqve ita qvanta potui brevitate rationem modumqve expedivi *Clarissime Boxhorni*, quo qvis aut ad plenariam matheseos cognitionem pervenire qveat, aut hinc inde qyantum instituto suo satisfit, decerpere. Non ignoro alia aliis placere, & forte nonneminem futurum, cui ea methodus minus arri-deat, aut autores alii, cum iis qvos citavi, videantur permutandi. Verum in tam vasta scientia, non qvod omnium palato placeret, proferre studui, sed qvod non omnino displiceret judicio meo. Ipse enim, si mea res ageretur, non alio tramite incederem. Fateor eqvidem, nonnullas partes ab uno au-tore felicius multo pertractari, qvam ab alio; euqve delectu opus esse, si accuratissime methodi leges sint obser-vandæ. Verum nec tempus nec otium mihi fuit, minuta ista accuratius cri-brandi. Et poterit studiosus mathe-seos, sitalibus modo autoribus instru-ctus sit, ubi progressus aliquos fecerit

in singulis partibus, optimos a multis
probis facilime discernere. Apud te
non est, qvod multis me excusem, si
strictior fui, qvam pro dignitate mate-
riæ; candoris tui erit, brevitati meæ
ignoscere. Nam & typographum ur-
gere scis, si pro varia ingeniorum con-
ditione atque hodierno studiorum sta-
tu, scribenda foret methodus; singulae
Matheseeos partes peculiarem instru-
ctionem pro se reqvirerent. Nulla e-
nim tam angusta est, qvæ talia scriben-
tem non patiatur, tum qvoad materiam
pertractandam, tum qvoad scripta di-
versorum autorum, qvam latissime ex-
spatiari. Hæc ergo sufficere arbitror,
& si qvodammodo petitioni tuæ vi-
dear fecisse satis, habebo unde mihi
gratuler, vale, vir clarissime, & me, ut
soles, constanter ama. Dabam raptim

Amstelodami, IV. Non. Jul.

M. DC. XXXVI.

SE-



SECTIO III.

CAP. I.

De Ordinando studio Philosophiae Practicæ.

§. 1.

Philosophia Practicæ tres partes numerantur, Ethica, Politica & Oeconomica: Qvarum illa bonum virum; ista bonum civem; hæc bonum patrem-familias formare debet.

§. 2.

Ethica, qvæ bonos mores instillando, vivere honestè docet, non uno modo tradi solet. (1) Veteres, ut Poëtae, & in primis Stoici, morum præcepta egregiis sententiis complexi sunt, qvos inter recentes scriptores Lipsius videtur imitatus. Sed illos omnes superant Proverbia Salomonis, sententiae Syncidis, & libri sapientie scriptor. (2) Theophrastus Eresius, per characteres seu notationes, mores hominum descripsit, qvas Isaacus Casaubonus eruditio-

commentario illustravit. (3) *Aristote-
lici & Scholastici definitiones virtutum
& vitiorum exhibent, præmissa doctri-
na de summo bono.* Qvi modus tra-
ctandi Scholæ magis , quām vitæ ac-
commodatus est. (4.) *Cicero de officiis,*
libro non suo pretio æstimato , & lau-
datus *Dn. Pufendorfius*, libro *de officio
hominis* juxta legem naturæ, *Ethicam*
vitæ civili accommodarunt, qvam qvi
legerit attente, usum ejus abunde tum
in jurisprudentia, tum in vita communi
deprehendet.

§. 3.

Sunt & Ethicæ doctrinæ condimen-
ta qvædam ; puta Poëmata moralia,
qvalia sunt Euripidis Tragœdiæ selec-
tiores, Comoediæ Terentii, Horatii
Sermones, carmina, qvæ Pythagoræ
vocantur. His *Enchiridion Epicteti*,
cum fusiore interprete Arriano addi de-
bet. v. *H. Grot. dissertat. de studiis bene
instituendis p. 4.* Qvia verò magnum
momentum in actionibus humanis,
qvas

qvas Ethica moderatur , conscientia
habet , Roberti Sondersoni tractatus de
obligatione conscientiae , diligenter evol-
vendus est.

§. 4.

Si qvibus vero Aristotelem , cum
Scholasticis , magistrum omnino seqvi
placet , D. Horneji Philosophium mon-
lem sibi familiarem reddere possunt :
aut , qvi hoc brevior est , Bacleri libel-
lum memorialem Ethicum , cum B. no-
stri Thomasi Tabulis , qvæ instar lexici
eruditii in Aristotelis libros Ethicos ,
esse possunt. Legum studiosis D. Job.
Schilteri , viri celeberrimi , Manuductio
Philosophiae Moralis ad verum , nec simu-
latam Jurisprudentiam , & D. Fr. Eisen-
harti Jcti & Philosophi nobilissimi , ami-
ci nostri æstumatissimi institut. Jur. Na-
tur. in mor. Philosoph. doctrinæ Repra-
sentatio , hic præ cæteris libellis Ethicis
Aristotelicis , lectu utiles erunt. Au-
sim tamen ex Ethica Pythagorica do-
ctissimi Omeissi , si non majorem , certe

C s parem

parem utilitatem juventuti studiosæ promittere. Addę ejusdem *Ethic*, *Platonicam* AltorfI publicatam.

§. 5.

Cui tamen volupe est, more Scholasticō , penitus Ethicam Aristotelis inspicere, is Nicomachica evolvat cum *Giphanii* vel *Acciajoli* commentariis. Ubi veterum sectarum discrimina simul noscenda: Quid senserit Pythagoras, quid severa porticus; quid vetus & nova Academia, quid hortulus Epicuri. His enim ignoratis, magna juvenibus in veterum libris oboritur caligo , qvæ ex historia Philosophica dispelli potest. Sed hæc illis, qui otio abundant, & in his literis velut arcem aliquando constituere volunt, tantum svaldemus; cæteris, qui alium studiorum scopum habent, compendiaria notitia sufficiat.

§. 6.

Rectius faciunt, qui doctrinam juris naturæ & gentium hic ceu Philosophiæ civilis partem præcipuam excolere instituunt.

DE ORDINANDO STVD. &c. 59

stituunt. Nam ea ex lumine rationis, officia hominis communissima, præcipue quæ ipsum cum aliis hominibus, aut societatem cum societate alia redundunt sociabilem ostendunt; qui scopus Philosophiæ moralis est. Nam ad quem modum jus civile, ex legibus civilibus, officia hominis, quatenus peculiaris & definitæ civitatis membrum est, describit; ac adeo doctrinam illam juris universalis præsupponit, quod ubique unum est: ita jus naturæ officia hominis, in quacunque civitate degat, universaliter definit. *V. Pufendorf I. Præfat. in libr. de offic. Hom. & civis.*

§. 7.

Cæterum Vulgaris Ethicæ doctrinæ placita ex Aristotele petita, vitæ nostræ vel formandæ vel emendandæ parum prodesse, cum alii, tum non ita pridem illustris *Dn. Seckendorfius im Christen-*
Stat libr. I. c. VIII. §. 6. & libr. III. c.
VIII. §. 6. animadvertisit, & ne quis ex
eorum numero, qui Aristotelem con-

C 6

sum-

summatorum humanæ sapientiæ etiam
in hac philosophiæ parte crepat, no-
vam forte hanc sententiam putet, in
Additionibus p. 317. judicium D. Luthe-
ri super Ethicis Aristotelis recitat:
Desselbigen gleichen ist das Buch E-
thicorum ärger denn kein Buch, und
stracks der Gnaden GÖTDES und
Christlichen Tugenden entgegen, das
doch auch der eines wird gerechnet. O
nur weit mit solchen Büchern von al-
len Christen! darff mir niemand auf-
legen / ich rede zu viel oder verwirre/
das ich nicht wüst, lieber Freund / ich
weiß wohl, was ich rede / Aristoteles
ist mir so wohl bekant, als dir und deis-
nes gleichen, ich habe ihn auch gelesen
und gehöret mit mehrerm Verstande/
denn S. Thomas oder Scotus, desz ich
mich ohne Hoffart rühmen / und wo
es noth ist/ wohl beweisen kan. T. l. 505.

§. 8.

Evidem præcepta Ethica, qvæ ex
principiis lumini rationis cognitis de-
ducun-

DE ORDINANDO STVD. &c. 61

ducuntur, non spernenda aut ex Scholis proscribenda dixerim; cum ipse gentium Apostolus in arguendis gentibus illa respexerit, & ut Christianos, qui sanctiore disciplina imbuti fuerant, in ruborem daret, allegarit. *Rom. I. II. § 1. Cor. V. 1. 2.* Alio tamen modo, præcepta morum, ex jure naturæ derivari, & ad diversos hominum in civitate Christiana status, applicari posse, arbitror: ut, ubi desineret Ethicus, h. e. Professor juris naturæ & gentium, inciperet Theologus moralem theologiam ex sacris literis traditurus. Qvam tamen sententiam, si forte illis, qui in Aristotelis sententiis mordicus tuendis consenuere, non omni ex parte se se adprobet, nolo cuiquam obtrudere. Per me omnia Aristotelis placita in oraculorum vicem adorentur & sancta habeantur. Libertas interim circa res rationi subjectas sentiendi mihi placet.

§. 9.

POLITICA, jam seqvitur, qyæ do-
C 7 cct

cet remp. bene instituere, & institutam
recte gubernare. Ea plerumque ex
Aristotelis opere politico hauriri solet.
Et fatendum est, usum ejus aliquem es-
se, in primis si Commentarii aliqui, ut
Giphanii, Scheurlii, Piccarti & Cl. D.
Meieri, Conringii introductio in Polit.
Aristotelis jungantur. Enimvero quia
Aristoteles prae oculis cum primis ha-
buit res publicas Graecas, quae maximam
partem fuerunt Democraticæ; non
video quomodo inde tanta utilitas ho-
die in nostris rebus publ. sperari queat,
quanta vulgo prædicari solet; cum sta-
tus rerum publ. quæ nunc in Europa vi-
gent, maximam partem sit monarchi-
cus. Ne dicam, opus Aristotelis esse
imperfectum & velut supplementum
Platonis de Republica, & legibus li-
brorum.

§. IO.

Itaque hic partim recentes, partim
veteres consulendos putarim; sed ob-
servato diverso studiorum scopo, &
studio-

studiosorum sorte. *Quidam enim per fortunæ & scopi sui rationem, compendia tantum politica sectari possunt; cum arctiore gyro includere diligentiae suæ cursus oporteat; quidam vero solidorem Politicæ cognitionem affe-ctant ob alium studiorum scopum.* His sufficit compendium aliquod, ut *Cellarii*; vel quæ majorem usum præstant, *Bæcleri institutiones Politicæ*, imperfe-ctæ licet, & *Pufendorfi liber egregius de officio civis*, cum *Lipsii Politica*. His vero qui supra vulgum sapere hac in studiorum parte gestiunt, alii scriptores jungendi sunt, quos *H. Comringius in libro de civili prudentia c. XIV. commendat*.

§. II.

Nos salvis aliorum judiciis, hic par-tim veteres, partim recentiores, nomi-nabimus scriptores in civili prudentia celebres. Ex veteribus præter *Platonis libros de Republ. & LL.* evolvi meren-tur *Eclogæ Polybii ὥδι πολιτεῶν, omnia*

Mæce-

Mæcenatis & Agrippæ ad Augustum apud Dionem Cassium; Sallustii Epistole ad Cæsarem, vitæ Periclis, Catonis, Græchorum, Demosthenis & Ciceronis a Plutarcho descriptæ, in quibus eorum sapientia civilis simul exponitur. Si quis historiæ Romanæ peritus est, magnam utilitatem ex Epistolis Ciceronis ad Atticum, & alios quosdam, percipere potest. In illis enim præcepta politica generaliæ ad hypotheses suas aptantur. His jungendus est C. Tacitus, πολιτικῶν σcriptor, & Xenophon in Cyropaedia. Confer Gabrielis Naudæi Bibliogr. Politicam & J. G. Sulpicii JCt. Epistolam de studiis Academicis juvenis Nobilis recte instituendis.

§. 12.

Recentiorum Politicorum magnus est numerus. Nos illos distingvemus, præcipuos tantum nobisque notos nominaturi. Nempe quidam politicam doctrinam in artis systema redegerunt ac certo ordine pertractarunt, ut Petrus Greg. Tholofanus: qui doctrinam de legibus

legibus in primis copiose tractat, & propter diffusam eruditionem, multa im-
miscet aliena de moribus gentium, ut
Job. Bodinus de Republica: Henningus Arnicensis in Relectionibus Politicis, qvì
digressiones intempestivas faciens, jus
publicum miscet cum politica generali.
Qvidam partem tantum Politicæ tradi-
dere, ut *Nicol. Machiavellus in libr. de Principe, Cyriacus Lentulus in Aula Tiberiana, & Principe Absoluto: Hi* e-
nun statum Monarchicum tantum de-
scribunt. *Qvibus aliqui apponunt Altibusum & Henenii scripta politica;* sed hi monarchomachi sunt manifesti.
Qvidam Aphorismos tantum politicos
& axiomata college*e, ut Lipsius in Monitis Politicis, Durus de Pasculo (h. e.*
*Eberhardus à Weihe) in Aulico Politi-*co, D. Sprengerus in Axiomatibus status;**
Francisc. Giaciardinus in Hypomnes. Politicis. *Qvidam* partem Politicæ no-
bilissimam de jure Nat. & Gent. exco-
luerunt, ut duumviri incomparabiles,

H. Gra-

H. Grotius & Pufendorfius; qvibus ad-
di merentur nobilissimi viri, *D. Kulp-
sius in Collegio Grotiano*, & *D. Thoma-
sius in Jurisprud. divina*. *Qvidam al-
liam partem tradiderunt*, ut *Carolus Pa-
schalius de Legato*, *Arnisæus de jur. Maj.*
Lampadius de natura nummi; it. *Arni-
sæus de subject.* & *exemptione Clerico-
rum*; *de fœderibus*, *Wharemundus de
Ebrenberg*, *Baudius de inducīs Belgicis*.
Qvidam regulas prudentiæ civilis, sub
certis schematibus dedere, ut *Trajanus*
Boccalinus in Relationibus ex Parnasso,
Barclajus in Argenide sua, *Didacus Sa-
vedra in Emblematibus suis*, *Baconus de
Verulamio in Sermonibus Fidelibus*.
Sunt & alii miscellanei scriptores poli-
tici, ut *Forstnerus in not. ad Tacit.* *Ma-
chiavellus in Dissert. ad Livium*, *Ber-
neggerus in Qvæst. ad Tacit.* *Lipsius in
Monitis Politicis*, *Piccartus in observat.
historico-polit.* *Conringius in Dissert. A-
cademicis*, it. *Bæclerus & Beumannus in
Meditationibus Politicis*, & similes.

Conf.

Cohr. Gabr. Naudæ Bibliograph. Politicam, & laudati jam J. G. Sulpicii Disserat. elegantissimam cit.

§. 13.

Heic notandum est, *duplicem esse prudentiam civilem vel politicam, alteram communem seu universalem; alteram singularem.* Illa qvæ ad statum reipublicæ in genere formandum aut regendum faciunt, tradit: *Hæc, qvæ ad statum hujus vel illius reipublicæ speciatim tractandum pertinent, complectens, magis ex historia alicujus civitatis & rerumpublicarum scriptoribus, nec non usu & tractatione rerum cивилиum, qvàm ex libris & præceptis disci- tur.* Tales sunt *Contarenuſ de Republ. Veneta*, Johannes Boterus in *Politica imperiorum, Regnorum, Rerum publicarum*, Philippus Honorius in *Thesauro*, Gaspar Ens in *Relationibus*, H. Grotius de *Republ. Batav.* Pufendorfus in *Isagoge ad notitiam Regnorum & Statuum præcipuorum in Europa.* Similes fere ex officina

officina Elzeviriana, de aliis Rebus publicis prodierunt libelli plures. Interim illam Politicam universalem, ceu fundatum præstruere oportet, antequam particularem & singularem quis addiscere incipiat.

§. 14.

Ubi tamen notari velim, præter doctrinam, quæ ex libris hauritur, requiri in discente, indolem excitatam vel ingenium civile, quod practicum vocant; & usum præterea rerum, quæ experientiam civilem parit. Hæc enim tria si concurrant, perfectum efficiunt politicum, qualem civitatis & aulæ negotia postulant.

§. 15.

Sed in studio hoc, confusio, quæ Politicæ universali, vel jus civile, vel publicam commiscentur, vitanda est. *Politica* enim generilis agit de republica in genere, juxta legem naturæ ordinanda: *Politica specialis* vel *particularis* agit de reipublicæ alicujus singularis statu,

statu, & vulgo jus publicum vocatur.
Jurisprudentia Romana, leges civiles,
qvæ cives reipubl. Romano-Germani-
cæ jam obstringunt, exponit; adeoqve
pars Politicæ specialis est. Non ergo
abs re fuerit, circa methodum tradendi
re iuris, in gratiam tironum qvæ-
dam hic præmonere.

§. 16.

Nempe cum in Disciplinæ hujus tra-
statione omnis occasio confusionis,
tum qvæ ratione materia, tum qvæ ra-
tione modi tractandi deprehenditur,
præcidenda sit; breviter meam hic
mentem, salvis tamen aliorum senten-
tiis, edifferam.

§. 17.

Ac qvod materiam seu argumentum
civilis prudentiæ attinet, putarim illos
optime philosophari, qui *primum de*
civitatis & Republicæ origine ac inter-
na ejus structura, ea methodo, qvam
vir in his literis summus, Pufendorfius,
in libello de cive, & in opere de Jure Na-

turæ

tura & Gentium libro VII. præivit, tra-
etant. Nemo enim recte instituere &
bene regere civitatem potest, nisi ut co-
aluit primum, indeque de indole ejus
atque natura ipsi intimius constet.

§. 18.

Deinde de modo gubernandi rem-
publicam, inquirendum. Qvod, nisi
forma rerum publicarum, summi impe-
rii indoles, partes ejus, & jura sciantur,
fieri nequit. Igitur de his capitibus,
ductu sanæ rationis, quem laudatus
modo Pufendorfius observavit, distincte
agendum est.

§. 19.

Tertio, cum finis omnium rerum-
publicarum, sit felicitas sive salus pu-
blica; de hac agendum, demonstran-
dumque venit in quo consistat. Hoc
est, primum discrimen honestorum &
turpium ex jure naturæ & gentium,
qvod hujus disciplinæ pars haut igno-
bilis est, tradi debet: Secundo utilium
& noxiорum distinctio & electio pro-
ponen-

ponenda est. Qvæ duo minime divel-
lere licet. Nisi enim utilium in civi-
tate declarationi ratio honestorum,
consilio jus, actioni decus adjiciatur,
exitialis error, qvem *Machiavellus* &
Hobbes reduxerunt, nascitur, qvi re-
rum publicarum vitalia exedit atqve la-
befactat.

§. 20.

Hac methodo in generali Politica
primum observata, ad *specialem*, qvæ de
republica hac vel illa singulari agit, de-
scendi potest, v. gr. de Romano-Ger-
manica, de Gallica & aliis. Nam qvi
hanc cum Politica generali miscent,
bonæ methodi regulas transgredi ac
confusionem parere, in aprico est. Imo
cum in nostra Germania, Principes,
suas ditiones velut respuplicas particu-
lares seorsim regunt; opus est, ut il-
lorum status administretut, etiam scia-
mus. Id vero, qvod sciam, nemo me-
lius illustri *Domino Seckendorfio*, viro
prudentiae civilis callentissimo tradidit in
libro,

libro, cui titulus, *Deutscher Fürsten-Stat.*

21.

Circa modum tractandi, confusio-
nem in hac disciplina non vitant, qvi
civilem prudentiam generalem, ex ve-
ra Philosophia hauriendam, vel cum
jurisprudentia civili & jure publico,
vel etiam cum Theologia miscent. E-
quidem non negem, posse a Theologia
& sacris literis aliquid præsidii hic ac-
cessi; sed confusionem abesse oportet,
prudentes hujus scientiæ doctores
monent. Verum enim est, qvod sacra
scriptura plurima inculcit præcepta,
qvx & ipsa Politica tradit: hujus ta-
men, non illius disciplinæ est, eorum
necessitatem ex ratione demon-
strare.

§. 22.

Tandem in modo tractandi impin-
 gunt, aut non satis idonei doctores ci-
 vilis prudentiæ putantur, qvi discipli-
 nam vitæ civili natam, meritis formulis
 artifi-

artificialibus involvunt, Scholæque aptiorem, quam reipublicæ concinnant. Quem errorem ex veteribus *Cicerone de LL. III. 6.* ex recentioribus, *Bæclerus Institut. Polit. proæmio* notavit. Rectissime enim animadvertisit: duplœm Politica tradendi modum esse: alterum umbraticum & Scholæ aptiorem; alterum serium, gravem, solidum, splendidum, *vite & negotiis accommodatum* vocat.

§. 23.

Usus Politicæ doctrinæ, ut in jurisprudentia manifestus est; ita in Theologia non est nullus. Multa enim in doctrina de legibus, de officio magistratus, de officio & negotiis civium, de criminibus adversus statum reipubl. admissis, & alia occurunt, quæ sine cœli prudentia minus recte expediet. Jctus legum tantum Romanarum pœritia instructus. Theologus usum Politicæ sentiet, cum articulum de Magistratu, de potestate principis, in primis

D

circa

circa sacra, de regimine Ecclesiæ, de officio imperantium, civium & parentium explanare aut describere sustinuerit: aut quando libros Josuæ, Judicum, Samuelis aut Regum explicare voluerit. Ubi multa, quæ ad ius belli & pacis pertinent, tractanda occurunt.

§. 24.

Ultima pars Philosophiæ practicæ, est *Oeconomica prudentia*, quæ, cum pro locorum varietate diversa sit, certis regulis comprehendendi nequit. Aristoteles duos de illa libros reliquit, qui modos acqvitendi in Græcia usitatos monstrant, cum quibusdam regulis nostratium etiam oeconomicæ convenientibus. Duæ autem vulgaris oeconomicæ species sunt, *urbana* & *rurestris*. Alia enim rei familiaris administratio obtinet in urbibus; alia ruri & in pagis. Ultraquæ modos acqvirendi certos habet, quibus solerter uti oportet. In *Rurestri* sunt agricultura, res pecuaria, piscatio & cauponatio. In *urbana* sunt

sunt mercatura, opicia, cauponatio & usura. Regulæ generales, qvas patrem familias observare decet, sunt: (1) ut provide diligenterque familiæ necessaria procuret: (2) ut impensarum modum reddituum modo metiat: (3) ut omnem rem familiarem ipse norit, suaqve cura complectatur: (4) ut non parta tantum tueatur, sed, pro re nata, rem familiarem justis modis augere studeat, qvæ ars *χρηματιστική* vocatur, & usu magis, qvam præceptis addiscitur.

CAP. II.

De Ordinando studio Politicæ specialis, seu Juris Publici.

§. I.

JUS PVBLICVM vulgo accipitur pro notitia reipubl. Romano-Germanicæ. Juxta descriptionem Justinianam, est descriptio status reipubl. Romanæ. Sed imperium Romanum, qvōd olim fuit, diu extinctum est. Igitur sta-

D 2 tus

tus imperii Romani antiquus, a statu reipublicæ Germanicæ, qvalis tempore Carolingorum, Saxonum & seqventibus seculis fuit, & qvalis nunc est, diligenter distingvendus venit, ne confusio in hac doctrina oriatur multis perqvam familiaris.

§. 2.

Tres autem hujus doctrinæ fontes adeundi sunt, unde cognitio juris publici hauriri potest. *Primus* est historiæ Germanicæ notitia; *secundus*, legum publicarum cognitio; ut sunt *A. Bulla Caroli IV. Recessus Imperii, Capitulationes Imperatorum, Pacificationes tum Passaviensis, & Osnabrugensis, tum Neomagiensis, Acta publica, qvæ Goldastus, Lundorpius & Limnaeus collegerunt*: cum his scriptores juris publici conferendi sunt meliores. Hinc *tertius* seqvitur, usus ævi, qvi ex conversatione vel commercio cum viris in tractatione rerum civilium versantibus comparatur, ut sunt ministri aulici & legati.

§. 3.

§. 3.

Ad jus decidendum, vel jurisdictio-
nem imperii pertinentia sunt 1. Nemesis
Carolina sive Caroli V. Imper. Peinliche
Hafß-Ordnung. 2. *Ordinatio Came-*
nalis, cum notis Denaisii, Rhodingii,
Mindani. 3. *Reichs-Hoffraths-Ord-*
nung apud Goldast. in *Reichs-Ga-*
zung. Huc pertinet Wehneri commen-
tarius von alt und never *Hoffgerichts-*
Ordnung apud Limnaeum.

§. 4.

De Membris imperii, ut (1) de Impe-
ratore, & qvidem antiquo ejus statu,
Jul. Cæs. Bulingerus, Gutherius de officiis
Domus Augustæ; de recentiori vero
statu Cæsaris, *Limneus libr. II. de f. Publ.*
& alii. (2) de Electoribus & eorum o-
rigine *Goldastus in Politicis imperial.*
Conringius de Septemviris, Limneus &
Arumeus in systematibus suis jam lau-
datis agunt. (3) de Principibus Imperii
ac Statibus, eorumque juribus, *Nicol.*
Mylerius ab Ehrenbach, & B. noster Zi-

D 3

gleries

glerus tract. de juribus Majestatis tractarunt. In qua tractatione historia & genealogia cuiusque Principis in subsidium vocari debet. (4) De civitatibus Imperialibus, Knipschildi commentarius extat. Conferri meretur Bæcleri Notitia imperii, in qua optimi autores de singulis argumentis commendantur

§. 5.

Scriptores juris publici non sunt unius generis. Quidam compendia, quidam systemata composuerunt. Ad compendiarios referimus Danielem Ottonem de Jur. publ. Imp. Rom. Joachimum Cluteniam in Sylloge rerum quotidianarum, Christoph. Besoldum in institut. Jur. Publici; Jacobum Lampladium de constitutione Reipubl. Romano-Germanica cum Animadvers. Corringii, Georgium Brautlachtum in Epitome Jurisprud. Publicæ universæ. Wilhelmum Beckerum in Synopsi Juris Publ. Romano-Germ. Job. Theodor. Sprengerum in Synopsi & institutionibus

bus Juris Publici. Nicol. Mylerum ab Ehrenbach / de Principibus & statibus imperii, Severinum de Monzambano de statu imperii German. Gabrielem Schwerderum introduct. Jur. Publ. Joh. Fridericum Rhetium in institution. Jur. Publ. Philipp. Reinhard. Vitriarium instit. Jur. Publ. Selectissim. Joh. Strauchi*it* institut. Juris Publ. Tobiam Paurmeist*erum* in libro de jurisdictione Imp. Rom. De qvibus singulis J. G. Sulpicii (avay Culpisi) viri excellentissimi Dissertatio de Studio Juris Publ. recte instituendo, & descriptoribus eo pertinentibus, item celeberrimi Dr. Rachelii Otium Neomagicense in delineanda introductione ad Jus Publ. Germ. cap. XVII. evolvi merentur..

§. 6.

Ad systematicos iutis Publ. scriptores referimus Dominicum Arumaeum, qui juris publici discursus edidit ; Iustum Sinoltum Schützium, collegium juris publ. publicantem ; Johannem Lymnaeum, qvi opus in quinque tomos

D 4 distri-

distributum, commentarios in Aur. Bullam & Capitulationes compositus; *Christianum Gastelium*, qvi de statu publico Europæ magnum tractatum compilavit. Inter hos eminent *Limneus*, *Theodorus Reinking de Regimine secul. & Ecclesiast.* qvi Studio partium dedicatus, monarchicum statum in imperio defendere sategit: cujus hypotheses erroneas *Bæclerus institut. Polit. libr. III. c. 8.* notavit.

§. 7.

His subjungendi sunt scriptores, qvi de argumentis particularibus egere, & à Bæclero in *Notitia S. R. imperii* passim laudantur, inter quos excellit *H. Conringius*, cujus Dissertationes Academicae selectiores uno volumine editæ prostant, item Dissertationes *D. Erici Mauricii*, *D. Fritschii*. Huc etiam pertinent Lexicographi Juris Publ. ut *Pauli Matthiae Webneri* observationes practicæ, *Christoph. Besoldi* Thesaurus Practicus, cui *Ditherrus* supplementa addidit. *Dn. D. Frit-*

D. Fritschii Manuale Juris Publ. Joh.
Jacobi Speidelii Speculum observatio-
num, qvod pro continuatione operis
Besoldiani habetur. Item Actorum
publicorum collectores, ut Goldastus in
Politicis imperialibus, Lundorpius in
Actis publicis &c. Plures nominare
hic nihil attinet. Si quis hos evolverit,
& cum viris in aula & legationibus
versatis commercium habuerit, pluriū
lectione carere poterit, præsertim usu
rerum accedente. confer Sam. Rache-
lii Otium Neomagicense, seu introduc-
tionem in Jus Publ. German. & jam
laudati J. G. Sulpicii dissertat. de studio
Jur. Publ. anno 1688. excusam.

SECTIO IV.

CAP. I.

De Studio Philologico.

§. I.

Quidam Philologiae studium ita laxe
accipiunt, ut sub illo Polymathiam
Dicitur πολυ-

(πολυμάθεσαν) comprehendant. Nos ex trita loquendi consuetudine, per Philologiam denotamus *partim* notitiam sermonis vel lingvarum eruditis usitarum; *partim* rerum variarum, quae ad literas pertinent, scientiam. Itaque in duas partes *Philologia* dispisci potest; *una* circa artes sermonis formatices, ut Grammaticam, Rhetoricam & Poeticam; *altera* circa historiam omnigenam rei literariae occupatur.

§. 2.

Ars, quae sermonem in quavis lingua formare docet, veteribus *Grammatice* dicitur. Quo nomine non vulgaris illa legendi scribendiique ratio intelligenda est, quae Grammatice rectius dicitur; sed doctior illa loquendi ars, quae stylum perficit ac in sermone censendo occupatur; ut ille sit purus absque stibligine, nihilque habeat βάρβαρον, nihil σόλοικον. Ad quam multa autorum lectio & judicium reqviritur. Et, qui his pollet, Grammaticus, aut criticus vulgo audit.

§. 3.

§. 3.

Ad sermonis cujusque indolem no-scendam, reqviritur tum vocum singu-larum ἐργογεγφία, etymologia & pro-pria significatio. His enim ignoratis, rerum peritiam nemo conseqvetur ac-curatam, aut etiam mentem suam vo-cabulis idoneis alteri recte exponet. Qvia nonnisi per verba, utpote rerum symbola, sensa animi humani exprimi possunt. Atqve hic opus est lexicis vel Commentariis Grammaticis. Qva-les apud Veteres inter Latinos compo-suerunt, Varro de L. L. Verrius Flaccus de verborum significatione, Festus Pompejus, qvi Verrium in Epitomen rede-git, multa simul resecans; Gellius in Noct. Atticis, Priscianus, Cornelius Fron-to & similes. Confer Voss. l. 1. de Arte Grammat. c. V. Scaligerum de causis Latinae Lingvæ. Ex Græcis præcipui sunt nominis, Julius Pollux, Harpocra-tion, Hesychius, Suidas, Autor Etymolo-gici magni, Lexicon Varini Phavorini Camertis &c.

§. 4.

§. 4.

Deinde his cognitis, structura vel *Syntaxis* noscenda est vocum connexarum, qvæ in sermone adhiberi solent: ut illa sit pura & bonis ac probatis autoribus conveniens. Ad hanc vero puritatem dictionis judicandam, non satis est, regulas Grammaticæ didicisse; sed præterea etiam lectione & imitacione scriptorum classicorum opus est. Confer *Gerh. Joh. Vossii de imitatione cum oratoria, tum poëtica libellum.*

§. 5.

Ordo vero hic aliquis tenendus est: ita, ut alii scriptores commendentur pueris, alii adolescentibus, alii denique viris - juvenibus exercitatis: PVERIS post prima Grammaticæ elementa, colloquia familiaria, Æsopi aut Phædri fabulæ, & è Latinis *Terentius*, *Eutropius*, *Cornelius Nepos* vel *Justinus*: ADOLESCENTIBVS *Julius Cæsar*, *Svetonius*, *Cicero*, *Livius*, & ex Poëtis, *Ovidii Metamorphosis* & libri *Tristium*, nec non *Virgilii Poëmata* proponantur.

tur. VIRIS Juvenibus exercitatis ad alios atque alios deveniendum est scriptores, idque eo ordine, ut ultimo elegantur, qui plurimum à felici Augusti ævo recederunt. vid. *Vossii Partitionem Orationis. l. IV. c. 1. §. 61.* & *Tanaquillii Fabri Epistolam ad Claud. Sannium senatorem Parisiens.* quam infra §. 8. subjungemus.

§. 6.

Sed cum Latinæ lingvæ conjungenda sit Græca; similem ordinem & in hujus studijs observare oportet; ut à facilioribus incipientes progrediamur ad difficiliora. Faciliores autem censentur libri N. T. in primis *Evangelium secundum Lucam*, itemque *Acta Apostolica*: deinde *Dialogi* faciliores *Luciani* nihil moribus noxiū habentes: Postea carmina *Pythagoræ*, *Hesiodi*, & *Isochristi* orationes: Tandem *Herodotus*, *Xenophon*, *Thucydides* & *Demosthenes*. *Homerus* ultimo loco legi potest. Sed infra peculiari capite scriptores Græcos recensēbimus. Ceterum in utriusque

D 7

lingvæ

lingvæ studio non sufficit assidua bonorum scriptorum lectio, sed requiritur etiam imitatio, de qua *Sebastianus Foxius Morzilius Hispanensis, Vossius de imitatione l.c. Schefferus de stylo & Gymnasio stylī, seu de vario scribendi Exercitio, Bæclerus in Dissertat. de comparanda Lat. lingvæ facultate, &c.* qvem primo loco nominare debebam, *Morhofius, vir longe doctissimus, Polyhist. litter. libr. II. c. IX. p. 423. seq. docent.*

§. 7.

Philologi, qui purum latinitatis sermonem commendant, tres scriptorum latinorum ætates constituunt: Primam vocant auream, in qua M. Tullius Cicero primas merito quidem suo fert; cui æquales fuerunt C. Jul. Cæsar, Crisp. Sallustius, Vellejus Paterculus, Cornelius Nepos, Livius, Vitruvius. Ex Poëtis illi annumerantur, Virgilius, Horatius, Catullus, Tibullus, Propertius & Ovidius; Qvi a Syllano tempore ad usque Octavianī Augusti obitum vixere. Unde &

ætas

DE STUDIO PHILOLOGICO. 87

ætas hæc Seculum Augusteum appellari solet. Secunda dicitur argentea, & ab Augusti excessu, ad tempora Antonini Pii imperatoris extenditur. Huc referuntur Cornelius Celsus, medicus celebris, Valerius Maximus, Pomponius Melæ, Geographus, Marcus Seneca, & alter Lucius Seneca, Columella scriptor rei rusticanæ, Plinius Major hist. nat. scriptor, Fabius Quintilianus Rhetor, Q. Curtius, Julius Frontinus, Plinius Secundus, Corn. Tacitus, Svetonius Tranquillus, L. Annaeus Florus, A. Gellius, Justinus historicus. Inter Poëtas, Phædrus, Augusti libertus, fabularum scriptor elegantissimus, Seneca Tragicus, A. Persius Flaccus, M. Annaeus Lucanus, Silius Italicus, Valerius Flaccus, Papinius Statius, Juvenalis & Valerius Martialis, Satyrici. Tertia ætas Latini sermonis appellatur Ærea, in qua primum nominari meretur Apulejus Afer, Philosopher Platonicus, Julius Hyginus, Mythologus, Ulpianus & Papinianus Jcti, Solinus

Solinus Polyhistor; ex Christianis, Tertullianus Afer, Minutius Felix, Cyprianus, Censorinus, Spartianus, Vulcatius Gallicanus, Julius Capitoinus, Aelius Lampridius, Flavius Vopiscus, Trebellius Pollio, (qvos sex scriptores, uno fasciculo conjunctos ediderunt Casaubonus, Salmasius & Schrevelius:) Arnobius Afer, Lactantius, Julius Firmicus, Aurelius Victor. Huc referuntur Panegyristæ, Mamertinus, Nazarius, Eumenius & Latinus Pacatus: it. Eutropius, Sextus Rufus, Ammianus Marcellinus, Macrobius, Vegetius, Aurelius Symmachus, Julius Obsequens, & scriptores Christiani, qui seculo quarto claruerunt. De quibus C. Scioppius consultat. de Scholarum & Studiorum ratione consult. secund. Vossius in prefat. ad Lectorem libr. de vitiis Sermon. Borrichius de variis L. L. etatibus, & clarissimus mihi que amicissimus vir, Christophorus Cellarius, in Prolegomenis curarum posteriorum de Barbarismis & Idiotismis Sermonis latini, legi merentur. §. 8.

§. 8.

Qui puritati Latinis sermonis student, eos ad imitandū sibi proponant, qui sub prioribus duabus ætatibus maximè fluerunt. Nam elapsis illis temporibus, Latinitas pura varie contaminari, & tandem barbaris gentibus imperium Romanum invadentibus, propemodum exspirare coepit. Qvare pro cūjusque scopo, pauci ex Augusteo seculo ad imitandum eligi merentur; v. g. ad usum sermonis familiaris *Terentius*; ad orationem elaborandam *Cicero*; ad historiæ stylum, *Julius Cæsar* vel *Cornelius Nepos* aut *Livius*; ad artem disputandi, *Cicero de offic. & qvæstion. Tusculan.* Ad poëticum stylum efformandum, *Virgilius & Ovidius*, vel *Claudianus*; ad stylum Epistolarem formandum *Ciceronis* aut *Plinii Secundi Epistolæ*, legantur. Qui vero se scholæ præparant, illi & reliquos supra nominatos scriptores evolvere, (certo tamen ordine servato,) debent. Ast qvibus alia studia excolere propon-

propositum est, pauciores sufficient, ut ad superiorum, quas vocant, Facultatum gradus contendere possint. Universam puerorum & adolescentum in ultraque lingua & Philologia institutionem ostendit *Rolandus Maresinus* in *Epiſt. Phil. P. II. Ep. 29. & 30.* quas, ante hos quatuor annos, recudi hic Lipsiae curavimus.

§. 9.

Studium utriusque linguae bonam nobis primae aetatis partem absumit; quod clara necesse non erat: praesertim in Graecia, ubi lingvam patriam, quae artes omnes, ac Philosophia ipsa tradebatur, pene cum lacte hauriebant; eaque de causa citius ad fastigium eruditioinis & humanae sapientiae enitebantur, quam nos hodie, qui in discenda Latinae linguae studio multos annos insumere solemus. Sed breviori tempore ejus facultatem consequi daretur, si recta & brevior via discentibus ab idoneis monstraretur magistris. Talem prae lauda-

Iaudatus Maresius Epistola XXIX. jam citata. Qva in parte Magistratus etiam cura poscit, cuius autoritate veterum magistrorum methodus docendi emendetur. Vid. Morhofii *Polyhistor.* litt. libr. II. c. 2. Facit huc Epistola Ternagivilli Fabri ad Cl. Sarmvium Senatum Parisiensem anno 1651. exarata, qvæ Sarvianis subjuncta legitur, & ita habet.

Quid causæ sit, Sarmvi clarissime, cur, cum infinita prope puerorum multitudo quotidie literarum professoribus in disciplinam tradatur, tam paucos tamen reperias, qui vel mediocrem aliquam illorum cognitionem post incredibilem & temporis & pecunia jactum assequantur? Scio esse perquam plurimos, qui præpropem parentum studia, nimiamq; pervicaciam accusent, qui videlicet à Scholarum moderatoribus ea impetrant, qvæ & ipsis damnsa sunt & liberis perniciosa. Ilbi enim admissi in eum ordinem pueri fuerunt, quem sua fibi imbecillitate

cilicite atque imperitia præcluserant,
qvid quæso , aliud par est expectari,
quam certissimam studiorum calamita-
tem? sed alii altius repetentes , totum
hoc negotium πλατωνιώτερον ἔωπεσσιν.
Delectum enim ingeniiorum , rem & pri-
vatim & publicè satutarem , haberivel-
lent ; quod patrum nostrorum memoria
ab egregio scriptore tentatum vidimus ,
irrito conatu . Neque adeò mirum ; iis
enim opus esset principibus , qui ut digni-
tate , ita & sapientia & rerum præclara-
rum cognitione ceteris prestarent homi-
nibus . Quamobrem hujusmodi delectum
optes facilis , quam habeas . Alii verò
superciliosi , sed timidiiores paullò atque
inertiores , corruptos seculi mores que-
runtur , veteris disciplinae neglectum de-
plorant . Alii porrò corruisse literarum
studia prædicant , quod illi , quibus impe-
ria & Respubl. administrantur , has ar-
tes fere plerumque aspernantur . Verum
si malum adeo multiplex & varium
scrutari lubeat , ejusque causas omnes in-
vesti-

vestigare paremus, tempus nos, uti existimo, quam res, maturius deseret. Quid enim quæso de indiligentia atque imperitia plororumque omnium dicere debemus, quos erudiendæ puerorum atque adolescentum ætati præesse videmus? Quam paucos reperias, qui literas recte atque liberaliter tractent? Quid, quod eorum plerique nihil aliud sibi videntur querere, quam ut in consultis possint gratificari parentibus? Quid quod viam illam planè ignorant, quia majores nostros ad æternæ famæ claritudinem pervenisse videmus? Quænam illa sit fortassis roges, vir clarissime; nulla certè alia, quam veterum scriptorum accurata lectio. Ea Budæos, & Scaligeros: Ea Turnebos, Passeratios & tot ingentia nomina editit; Et absque ea sit, malim eqvidem, liberos meos opiliones esse, & merum rus, quam iis literis dare operam, quas hodie doceri videmus. Itaque adeò, si mihi sententiæ jus in re tam gravis momenti esset, sic censerem: Debere

1805

nos a fabellis seu Apologis auspicari, statim atque primulis lingvæ Latinæ Elementis informati pueri sint; cœperintq; sentire, quid sit compositio; idque dico sapientissimorum virorum, totiusque antiquitatis auctoritate adductus. Ea autem refert maxime, ut teneros puerorum mores & adhuc εὐαγγελία mollire & subigere queas facilius: idque ubi rite factum fuerit, & virtutis in iis quædam σκιαγραφία cœperit apparere, tum porrò pergendum erit alacrius, neque in his fabellis amplius immorandum, sed exemplis eæ crunt confirmanda atq; illustranda, quæ legendis Apologis fuerunt tradita. Id autem, uti opinor, perfici non potest commodius, quam si brevissimos quosque historicos perlegemus, eosque potissimum, qui res a primis Gracie & urbis Romanae temporibus perscripserūt. Et quoniam absque Terrarum, Maris, Montium Fluminumque descriptione, non est, ut quisquam ad veterum librorum, quibus omnis liberalis scientia atq; huma-

humanitas continetur, cognitionem possit pervenire; maximum ope & pretium fore judico, si scriptor aliquis pueris tradatur, qui illa omnia, si minus eius τὸ λεπτομερὲς καὶ διὰνθεῖας, ἀλλὰ τύπωγε, ut ajunt, doceat. Ea autem omnia, quinam e veteribus præstuerint rectius, quam Phædrus, Apollodorus, Eutropius, Cornelius Nepos & Pomponius Mela? Qui libelli inini unius anni curriculum, si qua modo adhibita diligentia fuerit, nullo poterunt negotio perlegi.

Quod ubi effectum fuerit, quam lætæ segetis spes in annum sequentem erit? Quam facile fuerit, Sallustium, Svetonium, Ovidii Metamorphosin & Fastos legere tam feliciter institutis. Tertio autem anno, quis, nisi inertissimus, neget legi perquam facile posse, Tercentium, Virgilium, Horatium? Tam id evidem scio perfici posse, quam me scio vivere; re enim ipsa expertus dico: qui amicis aliquot anno superiori per hibernos Ὀμηρίδας Terentium, Horatium, Lucretium,

tium, Juvenalemque iterata lectione explicav. rim; cum tamen à literarum humiorum cognitione & illa ~~deceptio~~ deicta, quam in primo & seqventi anno constitutimus, essent imparati; ideoque longe plus temporis in explicatione ponendum fuisse vides, vir clariss. ac multo plura legi potuisse, si ipsis ea adfuerint subsidia, quae primis annis sibi parare debuerant. Tot igitur & tanta si intra triennium absoluta fuerint, quis anno seqventi Ciceronem atque Homerum non facile legerit? Nisi quod (vera enim fati cum summo nostro dolore necesse est) ubi ad eam studiorum partem ventum est, quam vulgus (jam dudum enim vena rerum vocabula amisimus) Philosophia vocare solet, grave piaculum esse dicunt Magistri, libros meliores primo tantum digitulo attingi a discipulis; Quorsum enim inquit, Philosophia majestatem, puerilium literarum nugis & Grammaticae quisq; viliis (videlicet libri principes quisq; viliæ sunt) attaminari deceat?

Recte

DE STUDIO PHILOLOGICO. 97

Recte sane, & ut in illo hominum genere
dignum est, qui postquam insulam bar-
bariem bene ac fideliter combiberunt,
novi repente Thaletes prodeunt. Quidni
enim? postquam per integrum biennium
ea didicerunt, quae sibi comparaverant;
gypsati & palliolati in publicum proce-
dunt, utique tria aut quatuor dūsūce
ρημάτων, postquam vix atque agrè bal-
butierunt, librorum eis omnium arcana
ex templo reseruantur, illarumq; omniura
artium, quae libero homine dignæ sunt,
profundarum facultas datur. Atque
utinam tam eis facile esset doctis fieri,
quam imprudentibus licet. Næ illa
μαμπανς θων εὐφορία non esset, quam
hodie passim videmus; tot pulpitorum
crepitacula occurrunt, tot mundi cymba-
la, tot seculi incommoda, tot pestes au-
rium. Hinc itaque est, quod cum certo-
rum fortasse hominum offensione dicere
soleo (τί γδ ἀνεγένεται τεργωθεῖσι τεργον,
ἢ αληθεύεται;) dicere, inquam, soleo,
clarissime Sernavi, ita comparatum esse

E

totum

totum illud studiorum genus, ut qvo quis-
qve in eo perfectior est atqve consumma-
tior, eo sit incommodior omnibus atqve
molestior. At utinam Patrum nostro-
rum, qvi fædam hanc & inhumanam
studiorum rationem mutare tam feliciter
tentaverant, vestigiis insisteremus! Haud
dubium quidem est, qvin deterso situ &
squalore humaniores literæ excitarētur;
Et Nobilitas nostra illarum ornamenta
& cultum tam quæreret studiose, qvam
hodie obstinate aspernatur. Neqve sane
injuria; iis enim literis, qvæ hodie tra-
duntur, qvid qvæso, agrestius, qvid mi-
nus utile? Quid dediscendum maturius,
si tibi cum viris liberali præditis ingenio
sit agendum? verum nescio, qvomodo
altius processi & liberius paullo, dum me-
tant & corruptela piget pudetqve; cui re-
medium si poterit unquam fieri, vel ea
& ratione fiat necesse est, qvam modò
commemorabam, vel nulla, &c.

§. IO.

Referunt huc aliqui etiam Criticam,
cujus

cujs officium est, libros castigare, mendas, qvæ inoleverunt, tollere, eosque integratati suæ restituere. Nam multi codices veterum scriptorum partim librariorum ignorantia aut incuria, partim blattis & tineis arrosi aut carie, in profunda monachorum barbarie corrupti fuerunt. Hos ergo a mendis purgare & corriger munus critici est. Qvod, cum præter variam & multipli-
cem doctrinam, judicium & acumen
mentis haud vulgare reqvirat, nos lau-
datum Rolandum Maresium Epist. Phi-
lolog. libr. 1. Epist. 17. secuti, nolumus
svadere, ut adolescentes huic studio in-
cumbant; ne tempus, qvod aliis studiis
& qvidem magis utilibus debetur, per-
dant. Præsertim cum post depulsam
barbariem, a duobus seculis in omni
scientiarum genere, libri satis egregie
emendati prodierint; ut nihil deside-
retur, qvam ut ita typis exscripti, no-
cturna diurnaque manu, ab adolescen-
tibus humanitatis Studiosis evolvan-

E 2 tur.

tur. Abusum Critics Poiretus l. III.
de Erudit. p. 336. seqv. recte notavit.
Faciunt sane id critici, inquit, quando
divinis operibus tum naturalibus, tum
supernaturalibus susqve deqve habitis &
neglectis, cassa, vanaque qvorundam
opera præponunt. In quibus ubi progres-
sus illos suos plusculum extendisse viden-
tur, tum vero rem maximimomenti sese
præstitisse sibi persuadent, atqve imagi-
nariis suis thesauris triumphant. Conf.
tamen, si placet, *Thesauro Criticum*
Gruteri, Francof. 1602. publicatum, &
C. Barthii Adversaria.

CAP. II.

De Altera parte Philologiae,
qvæ dicitur Historica.

§. I.

Historicen ab historia differre, *Vossius* de arte Hist. cap. IV. docuit.
Illa est ars, qvæ historiam scribere do-
cet: *Hec est rei gestæ expositio*. Vel
ut laudatus *Vossius* definit: *Cognitio re-*

RHWZ

DE ALT. PARTE PHIL. HIST. 101

rum singularium, quarum memoriam
conseruari utile sit ad bene beateque vi-
vendum.

§. 2.

Nos hic ita laxe accipimus historia-
rum studium, ut sub eo nomine etiam
antiquitates, ritus, gentium mores ac
jus antiquum complectamur. Quid
& fabularum notitia hoc referri potest;
quae ad similitudinem historiae fingi &
narrari solent. Quemadmodum &
verae historiae sub involucris fabularum,
quae Romanenses audiunt, describun-
tur. v. Huetii libr. de Fabulis Romanens.

§. 3.

Historia quae generis vicem quasi su-
stinet, ratione materiae, quam tractat,
dividitur in *Sacram, civilem, naturalem*
& *litterariam*.

§. 4.

Sacra, iterum vel est *divina* sive *divi-*
nitus inspirata; ut, quam Moses, Pro-
phetæ, Evangelistæ & Apostoli exara-
runt; vel *humana*, quæ de rebus Eccle-
siæ

sæ a viris Ecclesiasticis perscripta est, ac ratione argumenti in *Judaicam & Christianam* dispescitur. Illa ex Josepho & Philone; hæc ex scriptoribus Christianis, quos alibi recensuimus, peti potest.

§. 5.

Historia civilis ab argumento, quod tractat, cognominatur. Hanc Baconus de Verulamio distingvit in *Antiquitates, memorias & justam historiam*, quam alii *pragmaticam* appellant.

§. 6.

Antiquitates sunt reliquiæ antiqui temporis, aut fragmenta, ut fasti, tituli, monumenta, numismata, nomina propria, proverbia &c. Huc pertinent scriptores rei nummariae, & qui inscriptiones veterum Græcorum & Romanorum præcipue collegerunt. Illos ex illustris viri Dn. Ezech. Spanhemii libro *elegantissimo de Præstantia & usu Numismatum Antiquorum*; hos ex Gruteri, Reinesii & aliorum inscriptiōnibus cognoscere licet. *Memoriae* sunt delineatae.

delineamenta historiæ legitimæ ; ut epitomæ & commentarii, qvibus actiones & res gestæ cum eventu breviter traduntur, omissis occasionibus, consiliis, orationibus ac similibus.

§. 7.

Justa historia civilis, qvæ & pragmatica audit, in expositione rerum, addit personarum characterem, consiliorum rationes & causas, prætextus, imperii arcana & eventus. Talem Thucydides, Livius, Sallustius, Cornelius Tacitus; ex recentioribus Gvinciardinus, Sleidanus, Tbuanus & Pufendorfius condiderunt.

§. 8.

A qua non multum differunt *Annales*, qvi portionem temporis complectuntur, qvorum exemplum Tacitus dedit; Vitæ illustrium virorum, quales Plutarchus exhibet; item Relationes actionum singularium, sed illustrium, v. g. Expeditio Cyri a Xenophonte descripta; & similes in recenti historia passim obviae.

E 4

§. 9.

§. 9.

Historia naturalis naturas rerum ea-
rumque vires, operationes & effecta
exponit; ut *Aristoteles de Natura Ani-
malium*, *Theophrastus de Plantis*, *Pli-
nius* in *historia naturali*, de variis cor-
porum naturalium virtutibus & effe-
ctis; ex recentioribus *Gesnerus de Ani-
malibus*, *Bochartus in Hierozoico*, &
alii, qvos alio in loco tetigimus.

§. 10.

Historia litteraria, de viris doctis, eo-
rum placitis, sectis, scriptis, artium &
scientiarum ortu, progressu, incremen-
tis & decrementis agit. Talem, Laërti-
us teite, *Xenophon* primum scripsit, sed
qvae non amplius extat. Extant vero
*Diogenes Laërtius & Eunapius de vit.
Philosoph.* *Philostratus Lemnius de vita
Tyanæi*, *Hesychius Illustris*, *Suidas*. E
Latinis *Cicero de claris Oratoribus*, *Sve-
tonius de illustrib. Grammaticis, Rhe-
toribus & aliquot Poëtis*. E junioribus
huc pertinent *Polydorus Virgilius*, *Li-
lius*

DE ALT. PARTE PHIL. HIST. 105

lius Gyraldus de Poëtis; Vossius de Histò-
ricis & Poëtis Græcis & Latinis: Borri-
chius de Poëtis, Georgius Hornius in
Hist. Philosoph. Vossius de Sectis Philo-
soph. Confer Morhof I laudati Polyhist.
lit. l. i. c. 2. § 16.

§. II.

Huc referri possunt, qvi de illustri-
bus Ecclesiæ viris scripsere; ut Hiero-
nymus, Gennadius Masiliensis, Isidorus
Hispalensis, Hildephonsus Toletanus, Si-
gebertus, Honorius Augustodunensis, &
Henricus de Gandavo; Ex recentiori-
bus, Bellarminus de Scriptor. Eccles.
Possevinus in Biblioth. Philipp. Labbeus
& alii, qvos in Historia Ecclesiast. alle-
gavimus. Imo pertinent huc etiam Bi-
bliothecarum & vitarum eruditorum
virorum scriptores; ut Gesnerus, Sim-
lerus, Schottus, Draudius, Nic. Antonius,
Trithemius, Pantaleo, Melchior Adami,
Georgius Matthias Koenigius, cl. Witte,
qvi de vitis Theologorum, Jutorum &
Philosophorum libros edidere; & nun-

E s qvam

qvam sine laude nominandus Morbo-
fius in Polyhistor. libr. 1. c. 16. 17. 18. 19.

§. 12.

Verum anteqvam progrediar, de or-
dine & usu historiæ qvædam etiam an-
notanda veniunt. Qvod igitur ordi-
nem attinet, auspicandum est a com-
pendio, qvod tum notitiam generalem
rerum, tum seriem earum & connexio-
nem tradit. Tale est Sulpitii Severi,
Sleidani de IV. Monarchiis, Besoldi syn-
opsis, Chr. Cellarii Histor. Antiq. & si-
milium scriptorum, qvi epitomas vel
tabulas historiarum reliquerunt.

§. 13.

Verum, ut in omni re gesta, de qua-
tuor potissimum circumstantiis qværi
solet: *Qvando*, & ubi hoc vel illud fa-
ctum? *Qvis* egerit? & tandem, *qvale*
negotium sit, qvod describitur? appareat
ex aliis doctrinis, hic velut subsidia hi-
storiæ legendæ peti debere. Illæ vero
sunt *Chronologica*, tempus rei gestæ de-
finiens; *Geographica*, locum delineans;

Genea-

Genealogica, personas describens; &
Philosophia civilis, qualitatem rei gestæ,
ex fundamentis ethicis & politicis de-
terminans. Operæ igitur pretium fue-
rit, de his qvatuor doctrinis, historiæ
velut subsidiariis, qvædam inserere.

CAP. III.

De Temporum divisione in
Historia utili.

§. I.

Temporum divisio, qvæ ad ordinan-
dam historiæ lectionem admo-
dum necessaria, apud scriptores *varia*
est. Poëtas omne mundi tempus in
qvatuor secula dividere, notum est.
Primum vocant *aureum Seculum*, qvod
cum mundi exordio cœpit, & usqve ad
Saturnum regno exactum duravit.
Christiani id de felicitate *Protoplasto-*
rum in *Paradiso* interpretantur. *Se-*
cundum dicitur *Seculum argenteum*,
qvod cum Saturno exacto incipit, &
usqve ad *Jovem Belum*, h. e. Nimro-

dum porrigitur, qvo agriculturam & artes omnes inventas fuisse, ajunt. Qvod Christiani ex cap. IV. Gen. petitum fuisse putant. Tertium appellatur *aneum*, qvod a Jove Belo, hoc est, Nimrodo, ad annum usqve primum redditus Heraclidarum, computant. Christiani fictionis ansam ex cap. X. Genes. sumtam esse arbitrantur. Quartum ipsis audit ferreum, qvod a reditu Heraclidarum in Peloponnesum, usqve ad tempora, qvibus illi vixerent, duravit.

§. 2.

Varro, missis Poëtarum fabulis, omne ævum divisit in tria tempora: (1) in ἄδηλον, obscurum, qvod cum mundi primordiis incipit, & ad diluvium Ogygium in Græcia notum, porrigitur. Dicitur obscurum, qvia nihil eorum, qværum acta sunt, a profanis scriptoribus annotatum legitur. (2) In μυθικὸν seu fabulare, qvod a diluvio Ogygis, regis Thebanarum, coepit & ad primam usqve Olympiadem duravit. Nomen inde

de sortitum est, qvod fabulis tum omnia involuta essent. (3) *isoechov*, cum pti-ma Olympiade coepit, h. e. tempore A-zariæ regis Judæ, CCV. Annis a morte Salomonis, qvod tempora conseqven-tia complectitur.

S. 3.

*Alia divisio temporum mundi ex Thalmude adfertur, quam Eliæ, non Thesbitæ, sed Rabbino cuidam, qui tempore templi secundi vixerit, tribu-unt. Is cum mundum sex mille annos duraturum credidisset, tres periodos ve-lut vaticinans, fecit. Bis mille annis (dixit) *inane*: Bis mille annis *lex*: Bis mille annis *tempus Messiae*. Vaticinii hu-jus interpretationem *Matthæus Dresse-rus Isagog. Histor. part. 1. p. 4. & 5.* ex-hibet. Nos illam, ceu allegorica ratio-ne de sextiduo, quo mundus a Deo crea-tus est, nitentem, hic missam facimus.*

S. 4.

Imo, omissis etiam aliis tempora di-stingvendi rationibus, ductu sacræ hi-

E 7

storiæ,

istoriae, primum omne ævum, ab orbe condito, dispescere malumus in *etatem antediluvianam*, & *postdiluvianam*: ILLA ab initio mundi, ad finem diluvii universalis, 1656. annos complectitur. Qui per decem Patriarcharum antediluvianorum ætates, quando primum facti sunt patres, ex cap. V. Genes. in hunc modum computari possunt:

1	Adamo quando vixerat annos 130. natus est Seth,	130
2	Sethus annum agens circiter 65. filium genuit Enos,	235
3	Enoso annum agenti 90. natus est Kainan,	325
4	Kainani annum agenti 70. na- tus est Mahalaleel,	395
5	Mahalaleeli, anno ætatis suæ 65. natus est Jared,	460
6	Jaredo anno ætatis suæ 162. natus est Enoch,	622
7	Enochus annum agens 65. fi- lium genuit Mathusalah,	687
8	Mathu-	

DE TEMP. DIVIS. IN HIST. III

8	Mathusalacho anno ætatis 187. natus est Lamech,	874
9	Lamecho annum agenti 182 natus est Noah,	1056
10	Noachus agens ætatis annū 500. genuit Sem, Ham & Japheth, - - -	1556

Cum Noah annum ætatis
600. exegisset, ineunte
anno 601. primo anni na-
turalis mense, Genes. VIII.
13. aquæ diluvii, post quā
supra unum annum du-
rasset, exsiccabantur.

Quæ Is. Vossius de ætate mundi ante-
diluviani, ex autoritate LXX. interpre-
tum, in Chronologia sua sacra tradit,
G. Hornius, in *Dissert. de ætate mundi*,
& alii diluerunt.

§. 5.

Ætas postdiluviana iterum in duas
epochas, seu periodos majores distingvi
potest. Una est a fine diluvii, usque ad
nativitatem Christi: altera a nato Chri-
sto,

sto, usqve ad præsentem annum. Ultra-
qve ordinis ac memorie causa, in alias
minores epochas, seu periodos dispesci
potest; ut secundum illas, res in orbe
gestæ ordinari vel disponi qveant.

§. 6.

*Prior illa, qvæ a fine diluvii, ad Chri-
stum natum computatur, octo continet
minores epochas, seu intervalla insi-
gniora numerandi annos. Prima, a
fine diluvii incipit, ac ad natalem Isaaci
hæredis Abrahamo promissi porrigitur,
continens 452. annos; qvi ex cap.
XI. Genes. per decem ætates Patriarcha-
rum postdiluvianorum, qvando patres
facti sunt, eo modo, qvem Thomas Ly-
diat, in Canonibus Chronolog. can. 2. de-
monstrat, numerantur.*

§. 7.

*Secunda, à natali Isaaci, ad Israelita-
rum exitum ex Ægypto computata, an-
nos 400. complectitur. Qvod con-
firmatur ex ipsius Dei verbis ad Abra-
hamum Gen. XV. 13. & Act. VII. 6. di-
centis,*

centis, sermen illius (quod in Isaaco vocabitur, *Genes. XXI. 12. & Rom. IX. 7.*) peregrinum fore in terra non sua, per tot annos servituti afflictionibusq; obnoxium. Huc spectant historiæ de Isaco, Jacobo, Josepho & Mose.

§. 8.

Tertia epocha, ab Israëlitarum exitu ex Ægypto, ad templum Dei Hierosolymæ a R. Salomone fundatum, annos completos 479. numerat: qui libr. 1. Reg. c. VI. v. 1. designantur. Pertinent huc res Judicum & Regum Saulis, Davidis & Salomonis.

§. 9.

Quarta, a primis templi Salomonei fundamentis j. cts incipit, ac ad initium Monarchiæ Babyloniacæ extenditur: Qvod intervallum est 413. annorum: qui computandi sunt secundum annos regum Judæ posteriorum Davidis, prout in duobus libris Regum, & secundo Chronicorum designati extant. Hunc modum computandi Eusebius & Hieronymus

nymus in Chronicis secuti sunt : nisi quod secundum LXX. interpretes, Athaliae unum annum, Josiae itidem alterum , & Ammoni decem attribuunt plures, quam codices Hebræi.

§. 10.

Quinta, cum Monarchia Babylonica, seu imperio absoluto Nebucadnezaris incipit, & ad initum Cyri regimen porrigitur, continens LXX. annos, qui *Jerem. c. XXV. v. 11. & 12. & c. XXIX. v. 10.* exprimuntur. Pertinent huc res Nebucadnezaris & successorum ejus, cum historia captivitatis Judæorum.

§. II.

Sexta, a Monarchia Persica, quæ cum Cyri dominatu incipit, & ad Darii Codomanni ultimi hujus monarchiæ regis cædem, & Babylonem ab Alexandro M. captam, annos 204. numerat. Sunt quidem inter Theologos & Chronologos, qui, dum ab imperii Cyri exordio, ad mortem & resurrectionem Christi, veri Messiae, 490. naturales annos (h. c. LXX.

e. LXX. annorum septimanás) numerant, Monarchiam Persicam tantum 130. annos durasse existimant. Enimvero hunc nodum erudite solvit jam dictus *Lydiatus Can. Chron. VII. p. 27.* seqq. Huc spectant res Cyri, Cambysis, Magni (qvem *Herodotus* Smerdin vocat) Darii Hystaspidæ, Xerxis, Artaxerxis Longimani, Xerxis secundi, Sogdiani, Datii Ochi sive Nothi, Artaxerxis Mnemonis, & Darii Codomanni ab Alexandro M. vieti & exuti regno.

§. 12.

Septima cum imperio Macedonico, sive Græco inchoatur, annosqve 282. complectitur: qvi ab occupata per Alexandrum M. Babylone, in olympiadis 112. medio incipiunt; ubi Calippus Astronomus suæ 76. annorum periodi, epocham Ptolomæi Almagesto sæpe memoratam posuit; qvæ finitum cum victoria Pharsalica, qvam Julius Cæsar Olympiade 183. ineunte, contra Pompejum obtinuit. Huc pertinent res Alexan-

Alexandri M. Ptolomæi, qvi Lagi filius dicitur, Ptolomæi Philadelphi, Ptolomæi Evergetæ, Ptolomæi Philopatoris, Ptolomæi Epiphanis, Ptolomæi Philometoris, Ptolomæi Evergetis secundi, qvi alias Phiscon appellatur, Ptolomæi Soteris sive Lathyri, Ptolomæi Dionysii, alias Auletæ dicti, Ptolomæi Minoris Cleopatræ fratris; & res Romanorum ante conditam monarchiam Romanam.

§. 13.

Ottava incipit cum fundamentis monarchiæ a Julio Cæsare, post devictum Pompejum, iactis; & si ponas Julium Cæsarem fere annos IV. regnasse, & Christum anno imperii Augusti Cæsaris XLI. quo Ælius Lamia & Servilius Geminus erant consules, natum; complectitur 45. annos.

§. 14.

ALTERA jam sequitur EPOCHA MAJOR vel *Æra nativitatis Christi*, qvæ & ipsa in plures periodos minores scinditur,

ditur, annosqve 1690. complectitur.

§. 15.

Prima hujus periodus est a Christo nato, ad Constantini M. Imperium firmatum: qvæ tria priora Christianismi secula continet, qvibus religio Christiana longe lateqve propagata & infestata fuit. Constantinus M. ad Christianam religionem conversus, multum immutavit faciem Romani imperii, Constantinopoli præsertim tanquam nova & altera Roma ædificata, sedeqve imperii ibi constituta. Qvæ res majestatem Romæ veteris paulatim imminuit, donec interventientibus Gothicis invasionibus, in Augustulo denique imperium occidentale, anno Christi 475. extinctum est.

§. 16.

Secunda, quæ ab obitu Constantini M. ad divisionem imperii Romani a Theodosio M. factam, annos numerat, quartum fere seculum a Christo nato, comple.

§. 17.

§. 17.

Tertia periodus, cum imperio inter Arcadium Orientis, & Honorium occidentis Imperatores diviso incipit, ac usque ad Momyllum Augustulum, in quo imperium occidentis desit, porrigitur, annos circiter 80. complectens. Post memoratam illam divisionem, barbaris gentibus imperii provincias invadentibus, ipsa Roma anno Christi 410. per Alaricum Gothorum, & anno 455. per Gensericum Vandalorum Regem expugnata & direpta fuit.

§. 18.

Quarta, a Momyllo Augustulo inchoatur, & usque ad Carolum M. imperii in occidente instauratorem extenditur. Qvod intervallum 325. annorum est, qvi simul cum praecedentibus collecti efficiunt 800. annos. Hoc intervallo imperium occidentis vacavit. Licet enim aliqui nomen imperii conarentur recipere; fluxa tamen & improspera conata fuerunt. Interim seculo VII.

VII. nondum adulto, Mahometica se-
cta, humeris Saracenorum proiecta in-
valuit, qvæ imperatorum orientalium
vim subinde labefactavit, donec seculo
XV. medio, Constantinopoli expugna-
ta, imperium Romanum plane extin-
gveret.

§. 19.

Qvinta, cum Caroli M. Imperio in-
cipit, ac ad Henrici Aucupis, qvi post
Carolingorum ævum, anno circiter
920. in Germania rerum potitus est,
porrigitur. Sub hac Epochæ, magna
rerum conversio in occidentis imperio
contigit, imperio ad Germanos trans-
lato. De qva translatione peculiares
libri extant. v. *Politica Imperialia Gol-*
dasti.

§. 20.

Sexta, ab Henrici Aucupis regno, ad
Rudolphi Habsburgici tempora, qvi
post magnum illud interregnum, anno
post natum Christum 1273. electus fuit
imperator, annos numerat. Incidit in
hanc

hanc periodum Pontificis Romani Monarchia seculo XI. ad fastigium perducta, qva Cæsarum potestas valde infracta fuit. V. Goldasti Monarch. imperii Rom.

§. 21.

Septima, incipit a Rudolpho Habsburgico, Serenissimæ domus Austriacæ fundatore, & ad annum præsentem, qvo Leopoldus, Imperator Augustissimus, regnat, extenditur. Qui plura de characteribus & Canonibus Chronologicis, in historia oppido necessariis, nosse avet, Scaligeri, Petavii, Calvinii, Thomæ Lydiati & aliorum scripta Chronologica evolvat ; qvorum sententias inter se dissidentes hic compondere, nostri instituti non est. Inter compendia, Petavii *Rationarium Temporum*, & D. Ægid. Strauchi *Breviarium Chronologicum* legi merentur, qvæ characteres & canones temporum, cum in sacra, tum profana historia cognitu utiles, abunde explicant.

CAP.

CAP. IV.

De Geographiæ in historia
usu.

§. 1.

Geographiæ usum in historia reqvi-
rit rerum gestarum circumstantia:
nam de qvavis re, vel primum, *ubi gesta*
fit, qvar ei solet. Hinc Cicero *l. 2. de O-*
nat. in historia regionum descriptio-
nem consideremus ait. Imo *Aristote-*
les I. Rhetor. lectionem *Geographo-*
rum ad τὴν νομοθετικὴν, ad legum ferend
darum peritiam, valde conducere affir-
mat. Qvia illi leges gentium & mores
annotare solent, qvod Strabo in primis
fecit.

§. 2.

Geographia autem globum terra-
queum describit, in quo res hominum
olim gestæ sunt, & adhuc geruntur ho-
die. Igitur partium orbis, & in hoc
regionum, insularum & marium deli-
neatio perlustranda est in chartis, qvæ

F

Geo-

Geographiae appellantur: ut, ubi urbes & regna condita, qvi illorum fines, qvæ vicinæ gentes, qvæ bella hic aut ibi gesta, rectius nosci queat.

§. 3.

Sed ut historia in antiquam, medium, & novam distingvi solet; ita & *Geographia* vel *antiqua*, vel *media*, vel *nova* est. Antiqua & nova a viris doctis sat exulta atque chartis illustrata fuit. *Media* vero propter literarum barbariem, per gentium barbararum bella inventam, neglecta hactenus, magis excoli desiderat.

§. 4.

Antiquam *Strabo*, *Ptolomeus*, *Pomponius Mela*, *Plinius* in *Hist. Naturali*, *C. Julius Solinus* in *Polyhistore*, præcipue illustrarunt. Qvibus ex recentioribus *G. Hornium* in *Geograph. Antiqua*, *Salmasium* in *Exercit. Plin. Samuelem* *Bochartum* in *Phaleg*, & *Christianum Adrichomium* in *Theatro Terræ S. jungas*, qvi historiæ sacræ vel Judaicæ cōgnosc-

gnoscendæ præcipue inservit. Merentur etiam *Periplus Scylacis Caryandensis* cum tralatione & castigationibus *Isaaci Vossii*, *Stephanus de Urbibus* cum *Thomæ de Pinedo Lusitani observationibus*, & *Pausanias in Descriptione Græciae* evolvi.

S. 5.

In *nova* vel *recentiori Geographia* multi, tum qvi in compendio, tum qvi in systemate orbem descripserunt, nominari possent. Sed tironi, vel *Claveri*, *Bertii*, vel *Abrah. Gœlnizii* & *Clar. Christ. Cellarii nostri compendia Geographica* jam scholis nota, sufficere possunt, chartis simul in eorum lectione *Geographicis adhibitis*. Systematum *Geographicorum recentes scriptores*, in primis qvi *Hydrographiam illustrarunt*, celeberrimus *Bemmamus in Hist. Orbis Terrarum Geographica & civili* recensuit, qvos inde repetere, jam supersedemus.

CAP. V.
De Vsu doctrinæ Genealo-
gicæ in Historia.

§. 1.

Notitia Genealogiæ, qvæ persona-
rum & familiarum illustrium de-
lineationem continet, ideo in historia
utilitatem præstat haut contemnendā;
qvia in ea subinde qværi solet; *quis ege-
rit? unde fatus, aut quæ gente & domo
prognatus?* itaqve tum in antiquæ, tum
recentis maxime historiæ lectione, ge-
nealogica peritia reqviritur.

§. 2.

Hinc in sacra, & qvidem Mosaica
historia antiquissima, magna accuratio-
ne, Patrum antediluvianorum & post-
diluvianorum stemmata annotata legi-
mus: ita, ut si absqve illa foret, generis
humani propagationem cum ignarissi-
mis sciremus. Mosis divini scriptoris
exemplo deinde Judæi excitati, genea-
logias ad servandam familiarum me-
moriam

moriā contexere coeperunt. Qvas in templi Hierosolymitani archivis, majoris fidei & securitatis causa, deposuerunt. Esdras etiam ipse familias claras Judæorum sollicite in libro Nehemiac consignavit. Sed Herodes, Antipatris filius, qvi cum esset gente dumæus, familia minus illustri ortus; ne obscuritas natalium objiceretur, omnia illustrium familiarum monumenta igne consumxit. V. Seldenum de Success. Pontif. Ebr. I. 2. c. 3. Qvanquam alii ea abrogasse illum ferunt, ut liberum sibi foret, qvem vellet cunqve ad summum sacerdotium evehere. Nam ut Josephus l. i. adversus Apionem, & l. XII. Antiqu. c. 8. memorat, oportebat talem matre Ebræa natum esse. Verum cum postea Judæi domestica documenta familiarum, qvæ suspectæ erant fidei, sollicite asservarent, ac tempore S. Pauli Apostoli de iis inter se contenderent, ipse in l. Epistola ad Timotheum c. I. 4. studiū hoc, ceu Christianis inutile, reprehendit.

F 3 . §. 3.

§. 3.

Græcos & Romanos, non minori cura in scrutandis familiarum celebriū originibus fuisse, cum ex *Pausania in Corinthiacis*, & *Suida*, *Pollione*, (qui genealogiam eorum, qui bello ad Trojam interfuerent, descripsit) tum ex *Varrone*, qui de familiis Romanorum egit, eruditis ignotum esse nequit. Hanc superiori ævo velut æmulatus *Richardus Steinius*, L. Baro Schwarzenavius, Romanarum familiarum antiquarum illustrium stemmata, in tabulis breviter ~~re~~censuit.

§. 4.

Cum seculo abhinc proximo historiarum studium, ex profunda barbarie, perruptis quasi monasteriorum claustris, in lucem emersisset; studium quoque genealogicum, laudabili industria excoli a Germanis præcipue cœptum est. Nam *Reinerus Reineccius* non tantum in *historia Julia*, antiquorum Regum ac heroum stirpes in historia vete-

xi

ri memoratas recensuit : sed Hieronymus Henninges, Lunenburgensis, vastum opus genealogicum de illustribus in Europa familiis, quæ adhuc florent, composuit. Eadem studio incubuerunt Wolfgangus Lazius, Albizius, Reusnerus, Bucelinus, Nicolaus Rittershusius, David Blondellus, de Genealogia Francica contra Job. Jac. Chiffletium, & alii viri clavisimi.

§. 5.

Inter hos, Rittershusii tabulae genealogiae, cum Exegeſi post obitum ejus publicata, laude sua & utilitate defraudandæ non sunt. Qvibus non ita pri-
dem Spicilegium Tubingæ editum ac-
cessit. Sed cum unius viri non sit, o-
mnia, quæ ad hanc doctrinam perti-
nent, absolvere ; alii viri laudatissimi
huic operæ manum etiam admoverunt
suam. Non prolixæ venerandi socii
mei D. Speneri operæ genealogica, quæ
multorum illustrium etiam virorum
manibus teruntur, passimqve allegan-

F 4 tur,

tur, memorabo; non possum non tam
en historiæ Germanicæ cupidis, ejus-
dem *Syllogen Genealogico-historicam*,
cum quatuordecim Tabulis genealogicis
autoris anonymi de præcipuis familiis
hodiernorum Principum Imperii, Tu-
bingæ, impensis Joh. Georg. Cottæ im-
pressis commendare; qvippe qvibus
non nuda schemata stirpium exhiben-
tur, sed observationes simul historicæ
adjiciuntur. Ad hunc modum nuper
nobilissimus vir, *Dn. Jacobus Wilhelmus*
sm Hoff, *Excellentium Familiarum in*
Gallia & Regum Pariumqve Magnæ Bri-
tannia Historiam Genealogicam ador-
nati tatqve publicavit.

§. 6.

In historiæ Byzantinæ lectione, qvoad
genealogiam, usum habet *Caroli du*
Fresne Cangei Historia Byzantina, du-
plici commentario illustrata, in quo-
rum priori, familiæ ac stemmata impe-
ratorum Constantinopolitanorum,
cum eorundem Augustorum numisma-
tibus

tibus & aliquot iconibus exhibentur;
 fol. 359. Osmannidarum, seu Ottomani-
 norum stemma usque ad Sultanum Mu-
 hammed Cham IV. nuper ob infelices
 clades de solio dejectum, in locum
 ejus fratre adhuc superstite evecto.
 Qvem, ut Deus prostrernat, & Augustissimi-
 Imperatoris Leopoldi arma con-
 tra illum expedita, usque & usque felici-
 tia esse jubeat, ex animo precamur.

CAP. VI.

De Vsu philosophiae civilis
in Lectione Historica.

§. I.

CVm Philosophiam civilem in histo-
 riae lectione requirimus, duo de
 vocabulorum hic usurpatorum usu
 prænotanda veniunt: Nempe sermo-
 nem hic nobis *primum* esse non de
 compendiis historicis vulgaribus, in
 qvibus tantum steriles rerum gestarum
 indices habentur; sed de historia pru-
 denter scripta, qvam noviori vocabulo

F 5

pragma-

pragmaticam appellant. *Deinde Philosophiae civilis nomine, scientiam juris naturæ & gentium intelligimus, qvam Cicero præstabilem vocans, consistere ait, in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, Regum, nationum, denique belli jure & pacis. Cujus juris principia ex sola Philosophia moralis, qvæ vulgo Ethica & Politica audit, peti debere, notissimum est.*

§. 2.

Causa nostræ assertionis ex verbis jam recitatis constare potest. Nam qvid aliud in historia civili describitur, qvam belli & pacis negotia, de qvibus nemo judicare sine civilis Philosophiae ope potest? Hinc *Grotius* in *Epist. ad Maurerium citata*, cum eandem scientiam commendasset, subdit: His ergo disciplinis imbutus bene animus, mirū, qvos deinde ex historiarum lectione fructus sit consequitur. Cognitis enim præceptis, atque ipso genere qvæstionum communibus; facillimum est,

exem-

exempla suis sedibus collocare, sive ad hoc memoria sufficiat, seu brevis annotationis subsidium desideret.

§. 3.

Atque hoc volunt autores, qui ex historia civilem prudentiam vel comparari vel roborari posse affirmant. Nempe, vel exempla singularia, quae in illa occurunt varia, vel axiomata aliquot suppeditant politica, vel regulas politicas mirificè illustrant. Id quod Isaacus Casaubonus in prefat. ad Polybium & H. Conringius libr. de Prud. civili cap. 7. declarant. Exempla actionum, quae in historia occurunt, nos vel de veritate, vel de profunditate dogmatum civilium admonent, erudiuntque. Hinc Tacitus IV. Annal. c. 33. Pauci prudenter, honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernunt; plures aliorum eventis docentur. Et Seneca controvers. IV. 25. dicens: Facilius, quid imitandum & quid vitandum sit, docemur exemplo. Exem-

F 6

pla.

pla autem pariunt experientiam, politico certe necessariam.

§. 4.

Pars politicæ doctrinæ non postrema est *de utili*, seu, *qvod expedit reipublicæ*. Qvod historia exemplis facilius, quam suis Politicus regulis, ostendit. Nam illis circumstantiæ & consilii rationes simul exponuntur, qvæ in regulis politicis omittuntur, qvia universales sunt. Historia τὰς ὁρθόστατις, seu prætextus negotiorum, ab αἰτίαις seu veris causis, qvæ ut plurimum tegi solent, discernere docet. confer *Polybium* libr. III. duobus exemplis rem hanc illustrantem.

§. 5.

Vnde colligas, non esse imperitorum adolescentum, historiam cum fructu in vita civili legere. Opus enim judicio, philosophia civili subacto, qvod in paucis admodum adolescentibus reperias; licet vulgaris philosophiæ moralis præcepta recitare norint. Pertinet etiam

huc

huc examen politicum, ut, cum historiam alicujus reipublicæ legeris, statum ejus, leges, vires, mores & genium æstimare noris. Vbi sane practico judicio opus est, ut ad rationes politicas omnia exigantur, verusque adeo historiæ fructus percipiatur. Exemplum in Repl. Romana memorabile suppeditat Tacitus Annal. lib. I. c. II. & IV. 6. 33. Qvod nemo, nisi civili prudentia imbutus, rectè intelliget.

CAP. VII.

De Ordine in Lectione Historiæ servando.

§. I.

AD partes historiæ speciales descendendum est. Ubi prima pars sit historia Ebræorum, ab Orbe condito, usque ad excidium Hierosolymitanum, quam Sulpitius Severus breviter exhibit. Altera Assyriorum, Medorum, Persarum & Græcorum: ubi *Justini Epitome*

F 7

ex

ex Trogo Pompejo collecta maxime proferit. *Tertia pars histeria Romana erit*, qvam ex *Floro secundum* quatuor ætates reipubl. Romanæ, & *Aurelio Victore* discere licet. Inde progressendum ad alios, qvi res Cæsarum usque ad finem imperii Romani, h. e. ad Augustulum Momyllum plenius descripsere. Hinc *Quarta pars seqvitur*, qvæ divisum imperium, h. e. orientale a Constantino M. ad captam Constantinopolin; & occidentale, tum ante Carolum M. tum post ejus ætatem describit. Ulbi *Chronicon Carionis* à Melanchthon & Peucero auctum legisse tironi sufficit. Historiam vero Constantinopolitanam Turcicam, *Besoldus* tradidit in compendio. Byzantinæ Historiæ scriptores evolvere non est tironis, sed viri jam in his literis exercitati & otio abundantis.

§. 2.

Hinc ad historiam patriæ, & res, qvæ avorum & patrum nostrorum tempore
con-

contigere, pergendum est. Ubi de historia Germanica veteri primum, *Cluverii Germaniam Antiquam*, Rhenani libros de reb. German. Eginhardum de Carolo M. *Chronicon Spirensse Lekmani*, Aventini *Annales Bojorum*, cum *Mutii*, *Irenici* & *Velseni* operibus historicis, nec non, qvod conversionem rerum superioris ævi attinet, *Sleidani* commentarios in primis consulere oportet. Majoris historiæ Germanicæ Scriptores, qvos *Pistorius*, *Freherus*, *Ursilius*, *Goldastus*, *Reuberus*, *Schardius*, & *Meinhomius* collegerunt, perlustrare professam viri eruditæ operam exposcit. Deinde ad aliarum gentium historias veniendum est; ita, ut in quavis gente unus aliquis eligatur: ut in Gothicis, *Jornandes*; in Longobardicis *Paulus Diaconus*; in Slavicis, *Helmoldus*; in Saxonici & Vandalicis, *Cranzius*; in Danicis *Saxo Grammaticus* vel *Pontanus*; in Francicis, *Paulus Æmilius*, vel qui inter recentissimos est, *Bussierus*;

in

in Hispanicis *Marianna*; in Hungaricis *Bonfinius*; in Bohemicis *Dubruvius*; in Scoticis *Buchananus*; in Anglicis *Cambdenus*; in Austriacis *Lazius*; in Bojoaricis *Aventinus*; in Polonicis *Cromerus*; in Misnicis *Fabricius & Albinus*; in Belgicis *Meierus & Grotius*; atque ita in aliis. Multa etiam Chronica particularia tum veterum, tum recentiorum scriptorum excusa prostant, quibus particularis gentis aut urbis historia describitur. Qui itaque plenam gentis aliquujus historiam noscere avet, plures consulere scriptores necessum habet. Conferre hic licebit *Marquardi Freheri directorium* in omnes fere, quos superstites habemus, chronologos, Anna- lium scriptores & historicos potissimum Romani Germanicique imperii, quod *Dn. Rachelius suæ introduct. ad jus Publ.*, pag. 113. seqq. inseruit. Plures indicat *Job. Bodinus Meth. Hist. c. X.* quem catalogum historicorum *Philip- pus Glaserus* in *Syngrammate Historiae Theo-*

Theoret. part. V. recognovit & complu-
rium scriptorū accessione locupletavit.

§. 3.

In *historia Ecclesiastica*, qvæ civili
plane innexa est, ut in tractatione divel-
li neqveat, incipiendum a rebus Ebræo-
rum V. Tto perscriptis, qvas *Sulpicius
Severus* compendio constrinxit. Inde
vita Christi & Apostolorum ex N. Tto
& Actis Apostolicis cognoscenda, qvam
idem *Sulpicius Severus* summatim com-
prehendit, qvi res Ecclesiæ ad seculum
a Christo nato IVtum perduxit. Cui ad-
di potest *D. Pappi*, & *Gothana Historia
Ecclesiastica*. Pleniorē ejus notitiam
suppeditabunt, qvi hanc partem histo-
riæ pene perficiunt, *Josephus in Antiqui-
tatis suis*, & ex Christianis, florente
jam Ecclesia, *Eusebius Pamphili*, *Socra-
tes*, *Theodoreetus*, *Sozomenus Salaminius*,
Evagrius, *Theophylactus Simocatta*, *Ni-
cephorus* & alii, qvos *Degoreus Whear*,
in *Meth. legendi Hist. Sect. XXXII. seqq.*
adducit. Plures in *Collegio nostro Hist.
Eccle-*

Ecclesiast. alio tempore, juxta seculorum seriem indicavimus.

§. 4.

Post comparatam veteris historiæ notitiam, superioris & jam decurrentis ævi scriptores evolvendi sunt. Quid enim turpius literato, nescire, qvæ vulgo in triviis cognita sunt, & in conviviis ac circulis narrari solent. Præsertim cum his duobus seculis, tanta rerum, qvæ ad religionem & rempublicam pertinent, conversio facta sit, qvanta īnde a Constantini M. temporibus facta haud fuerat. Hæc vero partim ex compendiis & Chronologiis, ut sunt *Calvifii*, *Petavii*, *Boxhornii*; partim vero fusiū & plenius, e *Sleidano*, *Thuano* & *Pufendorfio* discere licebit.

§. 5.

Cum historia Romana in omnibus scholis præcipue tractari solet, non abs re fuerit hic *Caroli Sigonii ordinem Historiæ Romanæ*, qvem designat, ut a quo-

qve

DE ORD. IN LECT. HIST. &c. 139

que scriptore per temporum seriem pe-
tenda est, annexere.

(I.) Qvi res ante Reges in Italia &
sub Regibus Romæ gestas, per an-
nos 244. scripsere:

Dionysius Halicarnassus libr. 4.

T. Livius l. 1.

L. Florus l. 1.

P. Vellejus Paterculus l. 1.

Flavius Eutropius l. 1.

Plutarchus, in Romuli, Numæ, & Poplî-
colæ vitis.

Plinius de viris illustribus.

Paulus Orosius l. 1.

Joh. Zonaras tom. 2.

Solinus c. 1. & 2. Polyhistoris.

(II.) Ab exactis Regibus ad Leges
XII. Tabb. 58. annis, qvæ con-
scribi coeptæ sunt A. U. C. 303.

Dionysius l. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

T. Livius l. 2.

L. Florus l. 1.

Eutropius l. 1.

Plutarchus in Pyrrhi, Marcelli & Fabii
Maximi vitis.

Pli-

Plinius de viris illustribus.

P. Orosius l. 2.

Sextus Rufus.

Jo. Zonaras tom. 1.

Diodorus Siculus nonnihil libris 11. & 12.

(III.) AXII. Tabb. ad bellum Tarentinum & Regis Pyrrhi, qvi A.U.C. 474. in Italiam venit, annis 171.

Dionysius paucalibris 10. & 11.

T. Livius a libro 4. ad 10.

Epitome Livii l. 11. & 12.

Florus l. 1.

Eutropius l. 1. & 2.

Plutarchus in Camilli vita.

Plinius de viris illustribus.

P. Orosius l. 2. & 3.

Sex. Rufus.

Jo. Zonaras tom. 2.

(IV.) A Pyrrho ad primum bellum Punicum, qvod coëptum est A.U.C. 435. annis 62.

Polybius l. 1. & 2.

Epitome a libr. 1. ad 20.

Florus l. 1. & 2.

Plu-

DE ORD. IN LECT. HIST. &c. 141

Plutarchus in Camilli vita.

Plinius de viris illustribus.

Paulus Orosius l. 2. § 3.

Sex. Rufus.

Jo. Zonaras, tom. 2.

(V.) A Pyrrho ad secundum bellum
Punicum , qvod cœptum est
A. U. C. 535. annis 62.

Polybius l. 1. § 2.

Epitome a libr. 13. ad 20.

Florus l. 2.

Eutropius l. 2.

Plutarchus in Pyrrhi , Marcolli & Fabie
vitis.

Plinius de viris illustr.

P. Orosius l. 4.

Sex. Rufus.

J. Zonaras tom. 2.

(VI.) A Bello Punico secundo usque
ad tertium, qvod fuit A. U. C. 605.
annis 70.

Livius a libr. 20. ad 40.

Polybius libr. 3.4.5.6. & fragmentis reli-
quorum.

Eutro-

Eutropius l. 2. 3. 4.

Silius Italicus l. 8.

*Plutarchus in Fabii, Marcelli, Catonis
Majoris, P. Æmilius & Flaminii vitis.*

Plinius de viris illustr.

Æmilius Probus in Annibal's vita.

Appianus in Syriac.

Paterculus l. 1.

P. Orosius l. 4.

Sex. Rufus.

Jo. Zonaras t. 2.

(VII.) A bello Punico tertio ad Cæ-
sarem dictatorem, qui fuit A.U.C.
706. annis 100.

Florus l. 2. & 3.

*Appianus in Lybico, Iberico, Mithrida-
tico, & 1. & 2. bellorum civilium.*

Eutropius l. 4. 5. & 6.

*Plutarchus in Marii, Sertorii, Pompeji,
Luculli, Crassi, Cæsaris, Ciceronis, Ca-
tonis, M. Antonii & Brutii vitis.*

Dio l. 37. 38. 39. 40.

Suetonius in Cæsar's vita.

Lucanus.

Cæsar's

L
DE ORD. IN LECT. HIST. &c. 143

Cæsaris commentarii.

Paterculus l. 1. & 2.

Plinius de viris illustribus.

P. Orosius l. 4. 5. 6.

Jo. Zonaras tom. 2.

(VIII.) A Cæsare dictatore ad obitum Augusti, qui fuit A.U.C. 761.
annis 62.

Dio, a libr. 40. ad 56.

Svetonius in Cæsaris & Augusti vitis.

Appianus l. 2. 3. 4. 5. bellar. civilium &
in Parthico.

Vellejus Paterculus l. 2.

Cæsaris Commentarii de B. civili cum
Hirtio.

Florus l. 3. 4.

Plutarchus in Cæsaris, Ciceronis, Antonii,
Bruti & Catonis vitis.

Eutropius l. 6. & 7.

Cornelius Nepos in Attici vita.

Tacitus initio libr. 1. Ann.

P. Orosius l. 1.

Sex. Rufus.

Sex. Aurelius Victor.

Zona-

Zonaras tom. 2.

Zosimus historiar. l. 1.

Josephus libr. Antiq. 14. 15. 16. 17.

(IX.) Ab obitu Augusti ad Domitiani
necem, qvi fuit A. U. C. 849. an-
nis 82.

Dio, libr. 57. & 58.

Jo. Xiphilinus in Epitome Dionis.

Tacitus.

Suetonius in reliqvis X. impp. vitis.

Eutropius l. 7.

Sex. Aurelius Victor.

Sex. Rufus.

Zosimus l. 1.

P. Orosius l. 7.

Zonaras tom. 2.

Josephus libr. 17. 18. Antiquit. & libr. 7.
de bello judaico.

(X.) A Nervæ principatu ad Constan-
tini M. imperium, qvod fuit A. U.
C. 1058. annis 210.

Eutropius l. 8. & 9.

Sex. Aurelius Victor.

Sex. Rufus.

Xiphi-

Xiphilinus in Epitome Dionis.

P. Orosius l. 2.

L. Ælius Spartianus.

Julius Capitolinus.

L. Ælius Lampridius.

Herodianus Alexandrinus.

Vulcatius Gallicanus.

Trebellius Pollio.

Flavius Vopiscus.

(XI.) A Constantino M. ad Justiniani
imper. obitum, qui fuit A. Chr. 459.

A. U. C. 1317. annis 261.

Eutropius l. 20.

Eusebius Cæsariensis in vita Constant. M.

l. 4.

P. Orosius l. 7.

Sex. Aurelius Victor.

Sex. Rufus.

Ammiani Marcellini libri posteriores 18.

Zosimus, a libr. 2. ad 6.

Paulus Diaconus ab 11. ad 28.

Socrates in Hist. Eccles. libr. 6.

Evagrius Scholasticus in Hist. Eccl. l. 6.

Historia Tripartita.

G

Jor-

Jornandes Gothus in chronicis.

*S. Hieronymi chronica Eusebio adjecta.
Prospere in chronicis.*

Procopius l. 7.

Agathius Scholasticus l. 5.

*Anastasius S.R.E. bibliothecarius in vitis
Pontificum R. & Hist. Eccles.*

Theophanes Iaurus.

Nicephorus Calistus in Hist. Ecclesiast.

(XII.) A Justiniano Imp. dinceps.

Evagrius Scholasticus.

P. Diaconus.

Beda Anglus.

*Anastasius Bibliothec. in vitis R. Pontif.
& hist. Eccles.*

Zonaras tom. 3.

* *His junge ipsius Caroli Sigonii Historia-
rum de Regno Italiae libr. XV.*

Accuratiorem ordinem historiæ, quæ
ad Romanum, Romanumqve imperium
pertinent, legendæ, Petrus Angelius Bar-
gæus, peculiaribello designavit, qvem
ex biblioteca Johannis Antonide van
der Linden, Medicinæ apud Batavos
Pro-

professoris, editor *Dissertationum de studiis instituendis*, Amstelodami apud Ludovicum Elzevirium anno 1645. impressarum, pag. 609. seqq. publicavit. Nam in partiendis temporibus quasiqvæ difficiliter, tanq; in membra & frustra qvædam, autoribus Romanis, ad superstitionem usq; dili-gens & accuratus fuit.

CAP. VIII.

De Usu Historiæ.

§. I.

ET hæc de Ordine. jam de *Vsu Histo-
riæ* pauca annotabimus. *Pri-
mum Ecclesiasticae historiæ bonum est,*
qvod speculum sit divinæ providentiaæ,
qua Ecclesiam non tantum plantavit,
sed & propagavit & adversus tyranno-
rū ac hæreticorum molitiones conser-
vavit. Id qvod Christianum in Evan-
gelii veritate mire confirmat. *Hic
Augustinus in libr. de Civit. DEI, & P.
Orosius, in hist. evolvi merentur. Dein-*

G. 2

de

de Evangelicæ doctrinæ propagatio,
defensio, impugnatio per hæreticos,
origo hæresium & rituum variorum,
eorumqve causæ, conciliorum cano-
nes & decreta cognoscuntur: Item
Ecclesiæ antiquæ gubernatio, discipli-
na, ejus mutatio, Papatus Romani ori-
go, ut adoleverit, ut incrementa su-
mens ad fastigium pervenerit, tan-
demqve decreverit. In hac parte
Centuriatores Magdeburgici operam
utilem insumerunt. Qvos Baronius
in *Annalibus suis*, magno, sed vano
molimine refellere ausus est. v. *Is. Ca-*
sauboni Exercit. Anti-Baronian. præfat.
Præterea ad doctrinam Evangelicam
stabiendi multa suggerit argumen-
ta, si Patres primorum, (inprimis ter-
tii, quarti & quinti) seculorum a Christo
nato, evolvantur. Inde enim vi-
dere licet, quid in controversiis religi-
onis doctiores & meliores senserint:
Item, quid in conciliis & synodis di-
versis actum aut decretum fuerit.

Qvin

Qvin ad vitæ sanctitatem & constantiæ laudem, veterum Christianorum mo- res sancti, martyrumqve exempla in historia memorata pios excitare atqve confirmare possunt. Hunc usum in gratiam studiosæ juventutis D. Christia- nus Matthias, in *Theatro Historico-Theoretico-Practico*, diligenter annota- vit.

§. 2.

Deinde *Historiæ civilis* usus, cum in politica, tum Christiana vita elucet. Etenim illa dum gentium origines & regnorum conversiones & fata enarrat, simul providentiam Dei, sine qua hæc non eveniunt, pandit. Qvoties enim Deo visum est, imperia de gente in gentem transferre, excitavit vel Cy- rum aliquem, vel Alexandrum M. vel Cæsarem, vel Carolum M. Qvoties ty- rannos punire voluit, illud Claudiani confirmatum est:

- . - - Tolluntur in altum,
Vt lapsu graviore ruant.

G 3

Imo

Imo, si utcunqve diu etiam floruerunt improbi; postea tamen pœnæ tarditas pensata magnitudine, liberos ac nepotes involvit. Qvam varia & multiplex historiæ utilitas sit in politica prudentia colligenda, augenda, multi jam ante nos probarunt. Nam in rebus dubiis consilia, in adversis constantiam, in prosperis animi moderacionem docet. vid. *Is. Casauboni præfationem illustrem in Polybium.* Imprimis vero historia Romana magnum in studio juris Romani usum præstat. Id, qvod emnes, qvi in Pandectas commentarios confecere, fatebuntur. Qvibus illustrandis *Antiquitates Rom. Rosini cum Demsteri Annotation. l. VII. IIX. IX.* inserviunt.

§. 3.

Notandum tamen alium usum ex historia qværere *philologum*; alium *politicum*. Hic, cum prudentiam civilem sibi proponat, caussas & consilia rerum gestarum attendit, & in modo etiam,

iam , qvo negotia gesta sunt , omnia
minuatim considerat, ut prudentiæ re-
gulas inde exstruat vitæ utiles ; Ille ve-
rò (Philologus) partim dictionem,
partim mores gentium , partim even-
tus rerum annotat, qvod ipsi satis est.
Heic laudati Wheari libelli citati pars
tertia, de usu historicæ lectionis , consu-
li potest ; vel qvi illo in historia Roma-
na versatior est , J. Lipsius, in Episto-
la ad Nicolaum Hacqvevillium, de rati-
one legendi historiam , qvam hic insere-
re non abs re fuerit. Ita vero ha-
bet :

(v. Lips. Epistol. select. cent. tert. misc.
epist. 61. Antwerp. edit. p. 62. seqq.)

Ad Historiam cum dare te cœpisti,
fateris hærere in prima via & confusio-
ne Rerum aut Temporum , ignorantia
eorum , qvæ & qvando legenda, aut eli-
genda sint , pedem figere ; Imo tædio,
aut desperatione pñne referre. Non
fiat, mi Hacqveilli ; opem imploras,
pro copia mea dabo : & si non plene

G 4 du-

ductor (Occupatio & valetudo nunē abnuunt;) tamen director ero, & digitum intendam, qvo, & qva contendas.

Historia nobis proposita: qvæ & cūjusmodi? nam variat: & summa ejus divisio est, *Mythistoria* & *Historia*. Illa, qvæ fabulas vero mixtas; ista qvæ purum & merum verum habet. In illa poëtæ sunt, & id genus: qvi oblectamenta auribus animisqve qvarunt, & florida ista veste ornant & augent corpus hoc veritatis, veteres Poëtæ, & rex eorum Homerus, pulchre & sāpe utiliter fecerunt: cum arcanos sensus aut altiora dogmata, hoc quasi velo obnubunt & tegunt. Sed hanc partem mittamus, non nunc adeundam: altera est vera *Historia*: qvam licet, bifariam partiare. Est *Naturalis*, est *Narrativa*: sit venia sic loquenti, plane, si non pure. Illa est, qvæ Naturæ faciem & facta revelat; id est rerum, stirpium, animalium ingenia, proprietates,

tates, vires tradit. Aristoteles, Theophrastus, Ælianuſ, Pliniuſ fecere: & plures, qvōs ævum nobis subduxit.

Narrativam dico, qvæ res gestas actionesqve prodit, sacras ſive profanas. Ideoqve a dupli ci hac materie, iterum duplex, *Divina & Humana*. Illa, qvæ Religionem, aut qvod adhæret, tangit: hæc, qvæ res plurimum actionesqve humanas. Iterumqve ea duplex, *Privata & Publica*. Nam aut singularium res, vitam, virtutes, vitia recenſet: & *Privata* eſt: Aut qvæ publice, plurim uſui aut noxæ, ſunt geſta: & *Publicam* appello.

Omnes utiles. Proprie tamen & diſtincte, *Naturalis* ſcientiam, *Divina* religionem, *Humana* prudentiam, omnes delectationem habent. Ad quas autem Te voco? Velim ad omnes ire, ſed in tempore.

Naturalem nunc ſeponamus: *Narrativam* ingero, qvam vulgo & peculiari

ariter Historiam etiam appellamus. Ad hanc priusquam venias, duo præmitenda sunt, *Geographia & Chronologia*. Illa, ut locoruim, regionum, urbium notitiam aliquam concilie; hæc, ut temporum, qvibus qvæque res gestæ. Sed communem duntaxat, & non illam exactam notitiam exigo: satis sit, mundi partes situsque distingvere; provincias, & in iis flumina, montes, oppida clariora novisse. In temporibus etiam seriem eorum & ordinem tene-re, & velut terminis qvibusdam finire Imperia, bella, eventus. Velim equidem, & tacitus sæpe opto, imo ipse meditor, esse; qui breviter & compendio, & qvod caput est, judicio, ab Orbe condito velut fastos concinnet; nec aliud qvam annos, & præcipua rerum, notet ac libet. Qui haecenus fecere, aut confundunt nimis, aut diffundunt: & nec notabilia, aut laudabilia tamen maxime excerptunt. Sed hoc dum siat, potes Eusebio uti, & novellis qvi-bus-

busdam, qvi heri & nuper prodierunt.
Atqve ista cum paravim⁹, age ad ipsam
jam Historiam: & qvam præmittimus?
pietas velut *Divinam*. Facilis ea est,
nec diu tenebit. *Judaica* vetus est, e
libris Sacris, Josepho, & ejus inter-
prete Hegesippo petenda: nostra hæc
nova, id est *Christianæ*, olim ex Euse-
bio, Sozomeno, pluribus; nunc ex u-
no Cæsare Baronio adfatum haurie-
tur: & qvid in diligentia viri tanta de-
est? Imo ut supersit, vereor: iis uti-
que, qvi ex professo Theologos non
agunt, & sufficit universe initia, pro-
gressum, dissidia, capita & antistites
Religionis nostræ scire. Non abnuo:
compendium bonum exactissimi illius
laboris sit, non sit fortasse bono aucto-
ris. Est & *Miscella* religionis Histo-
ria: ut Mahumetanæ, qvæ magnam
orbis partem, a multis jam seculis,
obtinet; ut Sinensium, Indorum, &
qvi alii vanam & simulacris servam eam
habent. Hæc quoqve carptim, qvis
neget

G 6

neget viro politico & experienti libanda esse? Sed, ut dixi, carptim. *Hu-*
mana superest: illa præcipua, quod te
voco. Præter prudentiam, & rerum
peritiam,

Hæc tibi virtutum stimulos, hæc se-
 mina laudum,

Hæc exempla dabit;
 alibi uberioris laudata, & laudanda, nunc
 præunda. Duplicem eam feci, *Pri-*
vatam, & Publicam. Ab utra ordie-
nur? A publica ego censeo: & hæc,
ordinis doctrinæque causa, quadru-
plex iterum esto. Valde, inqvis, di-
vidis. Fateor; nec animi, vel argu-
tiarum causa: sed quia usu didici, ni-
hil ad methodum, id est viam ratio-
nemque docendi vel discendi, aptius
& efficacius esse. Itaque Socratem se-
qvor, divisioni amicum: & cum illo,
divinum virum habeo, qui commode
& opportune utetur. Sed ad rem; qua-
druplex hæc Historia: Orientalis, Gra-
ca, Romana, Barbara.

Prima,

Prima, qvæ primi aut prisci orbis res habet: cum nostra hæc omnia inculta, aut infrequentia & certe obscura & ignota. Itaque in Judæis, Ægyptiis, Æthiopibus, Syris, Persis, reliqua Asia, res fere & nobiliores eventus tunc sistunt: aut si quid admixtum, leve est, nec scriptione aut lectione dividendum. Hanc primo nosci svadet: & peti a Justino breviter: uberius deinde ab Herodoto, Diodoro Siculo, & si qvi Græcorum eam suis miscent. Quædam enim Polybius, Plutarchus, Zonaras, alii suggerent, huc apponenda. Sed Diodorum ego laudo & approbo: utinam plenum; &, ut scripsit, absolutum.

Alteræ est, Græca; in qua Spartanorum, Atheniensium, Thebanorum, & præcipue Macedonum res sunt: qvos huc traho, & includo. Præter jam dictos dabunt Thucydides, Plutarchus, Arrianus, & Q. Curtius e Latinis: Per partes colligenda est; nam qvito-

G 7 tam

tam & ordine scripserit, totus ad nos non venit.

Tertia, Romana est: in qua ubertate rerum & eventuum, eorumque insignium, &, quæ plures Scriptores illustrarunt. Omagnum, o pulchrum Imperium! & addo, diuturnum. Ideoque non mirum, si viris factisque brevia illa & fugacia Græcorum superavit. Græci præceptis valent (ait qvispiam) Romani exemplis. Et hercule, ita est. Non fuit gens, puto non erit, quæ plura vel in militia, vel in pace, laudis & virtutis suppeditabit. Itaque ad hanc, mi adolescentis, ad hanc segetem veni, manipulos frugum collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordine fiat, ea ipsa dividatur trifariam: in Veterem, Mediam, Novam. Prima mihi est, a regibus & urbe condita, ad Augustum: Media, cum immutato statu ad Principes ventum: Nova, cum iterum mutato, sedes ipsa principatus Byzantium est translata. In Veteri Scriptores
Græci

Græci Latiniqve sunt, sed præcipui isti:
Dionysius Halicarnasseus, T. Livius,
Polybius, Plutarchus, Appianus: qui-
bus compendia adjungere liceat, *Velleji,*
Flori, Eutropii, Orosii, Vellejorum lau-
dabile fuit; sed potior pars periit: ju-
dicio & ordine tamen scriptum, &
qvod exemplar pleniori Chronologiæ
fit ad imitandum. Faciant huic parti
Fasti Romani a Carolo Sigonio editi &
producti ad Augustum. At in Media,
noster Tacitus, Sveronius, Ammianus,
Spartianus & adjuncti Cæsarei Scriptor-
res: e Græcis autem, Dio Cassius, Jo-
Zonaras, Herodianus, legendi: tum &
compendium P. Victoris, itemqve Eu-
tropii. Adde ad seriem temporum,
imo & rerum lucem, Onufrii Panvinii
Fastos, ab Augusto ad Justinianum dili-
genter & industrie consignatos. Nova
superest: & in ea fere Græci isti, Zona-
ras, Zosimus, Procopius, Agathias, Ni-
cetas Choniates, Nicephorus Gregoras,
Michaël Glycas, Georgius Cedrenus:

etsi

etsi hic ultimus qvidem, anilium saepe fabellarum scriptor, & veri incuriosus vel ignarus; Judicio legatur tamen, dabit qvod juvet.

De *Romana* habes: qvarta erat *Barbarica*: qvid nisi lacinia & spolium ab illa veste? Nam hanc appello & intelligo, cum scisso fractoqve Imperio, major pars ad *Gallos*, *Germanos*, *Turcas* ivit, & alternatim hucusqve mansit. Nec enim *Gothos*, *Hunno*s, *Vandalos*, *Scythas*, aut illam faciem huc includo; qvæ maneat in *Media* aut *Nova Roma*na, & iis inserta nempe legetur. Faciunt huc proprie tamen *Jornandes*, *Procopius*, *Agathias*, & si qvi tales. Sed meam hanc *Barbaricam* varii scripsere, atqve ipsi ferè barbari, & adam barbare: extantqve *Germanici*, *Gallici*, *Britannici* Scriptores, in unum corpus nuper decore & utiliter conducti ac vulgati. Sunt & *Anales a P. Pythao* editi; & cottidie hujuscce argumenti prodeunt, judicio eligendi.

Scripto

Judice

inclusio

ni & lati

nino Cle

Turcicis

siemens

facing

Hen

qva sy

re & c

quindic

dicens

opus

aut

pletis

equi

inali

quo

& u

Ap

um

dors

exp

Scripsit & Carolus Sigenius de Regno Italæ, qvod huc facit: & Johann. Leonclavius, Turcica; uterque mihi bonus & laudatus. Quid omitto? Lao-nicus Chalcoondylas se suggerit, in Turcicis Græcisque legendus; item Gvi-lielmus Tyrius, & alii in transmarinis sacrisqve bellis.

Hem, inqvies, qvanta materia, & qvæ sylva? qvis ingredietur sine errore & egredietur? Qui ordine insistet, qvi industriam & curam adferet, jam dicenda. Ordine, inqvam, inprimis opus; & ne confusa & vaga lectio sit, aut desultoria & interrupta. Hoc plerisqve evenit; & velut ex eqvo in eqvum se trajiciunt, ab hoc scriptore in aliud, ab isto argumento in illud: qvo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus suum, imo & se, fallant. Apage tales istos, & ad Amadeum suum, aut si altius assurgere velint, Heliodorum eant. Tu ordine leges: qvem ex ipsis a me dictis, et si potes instituere; tamen

tamen in exemplo dabo. Ecce Romanam Veterem legere decrevi: ordinar ab universali aliquva notitia, & Compendium Flori, aut Eutropii præmittam. Tum a capite, & ab ipso Livio: cui Dionysium adjungam, & Polybium, Plutarchum, aut Appianum: sed quemque in consimili argumento. Cum peregero, ad Medium Novamque veniam, & constantia eadem peragrabo. Et de Ordine facile est, atque animantium decreto opus: Cura plus habet operæ, & in ea omnis est legentium fructus. Duo in hac specto, sive exigo: Attentionem & Electionem. Cum legis non suspensum aut attonitum te habeat tantum novitas aut magnitudo eventuum: insiste, inquire, cui rei hoc facere possit, & ecquem usum sui præbere. Mora hic aliquva inter legendum & tarditas, fateor: sed nimis, dicto veteri; Nulla res potest esse eadem, festinata simul & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat laudem.

dem diligentia, simul & gratiam celeritatis. Tarda igitur, & qvære. Cum repperisti, tum sit *Electio*: id est, ut stilum capias, & excerptas, & velut annonam in horrea qvædam reponas. Ea distincta etiam sint, & jam ante libri parati, meo judicio, quatuor; in qvos, qvidqvad eligis, conferas, & tuto deponas. Nam memoriæ suæ qui credit tantum: qvid agit? non dicam nihil, sed in breve, proficit; nec ulla ea tam vasta, capax, tenax est, qvæ varia ista cum fide asservet & reddat. Trade libris: in qvo labor aliquis, & iterum in legendō remora: sed, mihi crede, utilis, si qvidqvam in omni ratione studiorum. Libri isti qvattuor totidem titulos habeant rerum, qvos præcipue in Historiis notes: *Memorabilem, Ritualium, Civilium, Moralium.*

Quid Memorabilia? Res designo magnas, & cum admiratione aut motu legendas, sive audiendas: ut est notabilis potentia alicujus Regis aut populi,

Ope-

Opera, vel Opes, prodigia, & novi aut insoliti eventus. Uno verbo, qvidqvid non obvium, & magnitudine vel raritate se commendat.

Ritualia autem, qvæ pertinent ad instituta ritusqve veteres, sive qvos in publico, sive in privato usurpabant. Alios enim istos *Orientales, Græci, Romanique* habuerunt; & ab ea notitia, seria omnis intelligentia dependet veterum scriptorum.

At *Civilia* appello, qvæ ad vitam & regimen eommune faciunt, & hanc hominum jure & legibus devinctam Societatem.

Moralia deniqve, ea qvæ privatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitiis alienam.

Ecce qvattuor hi sunt tituli: qvid supereft? Referre in eos, qvidqvid ad singulos illos facit, sive *Sententiarum*, sive *exemplorum*: idqve cum hac attentionis cura, & judicii item norma. Dic clarius, inqvię. Nempe qvis qvę

que liber alios & minores suos titulos
habeat: quia natura & memoria ordi-
ne & partitione ista gaudent. Ut, il-
le *Memorabilium*, in ea qvæ attigi: nec
minus sane argumentum hoc patet la-
tissime *Ritualium*; ac dividamus in
Sacra & *Profana*. *Sacra* omnia publi-
ca: continentqve Deos, & eorum No-
mina, item Cognomina: tum *Insignia*,
Munia, *Cultum*, & *Templa*. Ampli-
us, *Sacerdotes*, aliosqve Ministros:
tum *Sacrificia* ipsa, *Hostias*, *Ceremo-
nias* & *Ritus*: deniqve, *Verba Solen-
nia* & formulas precationum, & qvic-
quid illos, aut ista spectat. Nimis
partiri, tenue est, & hic inutile; sper-
nes. Jam *profana* seqvuntur: atqve
ea duplia, *Publica*, & *privata*. Illa,
qvæ communiter omnes aut plures tan-
gunt, & publicis legibus aut Institutis
continentur: ut *Magistratus*, & singu-
lorum *Munia*, aut *Ornamenta*: ut *Se-
natus*, *Militia*, *Provinciæ*; *prefecturæ*,
officia, & qvidquid istis adhæret: tum
Leges,

Leges, *Judicia*, & eorum ratio, *Supplicia*, *Tormenta*, *Pænae*: lætiora denique, *Ludi* & *Spectacula*; *Triumphi* & *Festidies*. Ad *Privata* venio, & iis sub-jungo *Nuptias*, *Funera*, *Balnea*, *Convivia*, *Vestes*, *Nummos*, & qvæ longum sit complecti. Minuta enim etiam intercurrunt: sed in sermone offendendo potius, qvam Scripto adumbranda. Imo adeo minuta, ut nec titulos suos grandiores qvædam habent; sed verbis signentur, & ordine isto literarum. Ac si me audis, in plerisque eo utaris: qvia non ad famam aut pompam ista disponuntur, sed tui usum. Seqvuntur & excipiunt *Civilia*: utilissima pars iis, qvos genus aut destinatio ad Rempublicam vocant. Is liber tres partes habeat, antiqua & verissima divisione: *Status Regum*, *Optimatum*, *Populi*. In qvaqve parte notes & eo referas, qvæ *Firmandæ* sint, aut *Vertendæ*: & hæc ipsa subtilius dividias, ut a me in *Politicis* factum. Utar hoc

hoc exemplo cum fiducia: & conve-
niant vel qui nova adferunt, aut vetera
referunt, non dabunt in Ordine &
Methodo, qvod fortasse anteponas.
Sed unum etiam addi potest & debet:
velut *Sententiae* plures uni rei conge-
rantur: velut *Exempla*. Hanc postre-
mam partem non neglexi eqvidem, &
habeo sepositam imo paratam in scri-
niis, & avidam exire. Sed tu, aut a-
lius, non ideo remitte: & quisque sibi,
vel firmius, vel jucundius certe, tale a-
liqvid struit. Postrema sunt *Mora-
lia*: qvorum duæ partes, *Virtutum* &
Vitiorum. Velim & hæc disponi ordi-
ne literarum: sed ita, ut *Virtute* præ-
eunte, cuique bina sua *Vitia* sint sub-
juncta. Traho eodem etiam non Vi-
tia proprie, sed *Affectus*: & *Cupidi-
num* stirpes, *Spem*, *Metum*, *Gaudium*,
Dolorem adnecto: tum etiam de *Beata
Vita*, & qvicqid in Ethicis sedem suam
habet. Sed satis hæc communia in
Scripto præivi: in Sermone alia: il-
lud

Iud in fine te sedulo moneo, ut nemo
le hac, qvæ videtur, absterreare. Quid
enim? tam varia, tam multa? inqvis.
Nihil est: imo incredibile, qvam cito
hæc suspiciantur, & fiant, si tenor &
constantia sit, & qvisqve dies opus su-
um probet, triennii res, non diu te
differo: mihi si olim talis monitor, vel
citius absolvissim. Cogita te in ipso
flore ævi, & 'corpus labori, animum
intentioni ferendæ esse; qvid cessa-
mus,

*Dum res, & aetas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra?*

Non fac, mi Adolescens: cui ego fa-
ctum consultumque tua causa volo, tum
& Clarissimi V. Legati Regii: qui etsi
connubio tantum tibi parens, tamen
vel naturalem affectu & cura præstat.
Tu agnosce, illum cole, me & bona
ama. Lovanii, III. Non. Decembr.
M. DC.

§. 4.

*Historia naturalis usum Physici &
Medici*

Medici maxime deprehendunt, cum de rerum naturalium caussis & effectis agunt. *Litterariæ* vero utilitas in indagandis sectarum philosophicarum, artium & scientiarum qvarumvis originibus & progressu elucet: ita, ut absqve illa nemo de sectis philosophorum seu antiquorum seu recentium diversis recte judicare queat. Multum etiam confert ad eruditionem solidam comparandam, dum scriptores melioris notæ in qvavis arte & scientia indicat. confer Petri Lambecit *Prodrom. Hist. Litterariæ* & alios. Partem hujus sane eximiam *Morhofius* in toties laudato Polyhistore exhibet. DEus virum sospitet, ut qvarum spem partium orbi eruditio fecit, feliciter mox absolvat.

H

SE-

*SECTIO V.*De Scriptoribus Græcis ad
Philologiæ studium pertinenti-
bus.

CAP. I.

De Poëtis Græcis.

§. I.

CVm ad Philologiæ studium vel ma-
xime pertineat, scriptores Græcos,
utpote omnium fere artium & scientia-
rum, si non inventores, doctores ta-
men eximios nosse; studiosæ juventuti
non ingratam me rem facturum existi-
mavi, si hic qvasi eorum, qvi celebri-
ores sunt, indicem exhiberem. Satis e-
nim constat, adolescentes, qvibus curta
suppellex litteraria est, sæpe Græcos
autores, unde Latini sapientiam suam
primum hauserunt, ignorare. Itaque
illos, & quidem præcipuos, in eorum
gratiam, in *quinq̄ue* velut *classe*s dispe-
scam:

scam: ut quisque pro studiorum scopo, inde petere, quæ illi inserviunt forte, queat.

§. 2.

Sint ergo pro diverso eorum genere, quinque classes: *Prima* est Poëtarum: *Secunda* Historicorum: *Tertia* Oratorum: *Quarta* Philosophorum: *Quinta* Theologorum Græcorum inter Christianos maxime celebrium. Cum autem aliquos omiserim, eruditæ & cordati lectores meminerint, me hic non perfectam bibliothecam concinnare voluisse.

§. 3.

Ad primam igitur classem referimus Poëtas; quippe qui inter Græcos antiquissimi sapientiæ magistri habiti sunt, historiam antiquam cum philosophia fabulis involventes: ut juventus illorum savitatem aut numerorum jucunditate affecta, magis sapientiæ studium sectaretur. Hos secundum diversa carminis genera iterum in *Heroicos*,

H 2 Tragi-

Tragicos, Comicos, Lyricos & Epigrammatarios distingvemus.

S. 4.

Heroici carminis Poëtæ, qui extant, viginti numerantur. Homerus, Hesiodus, Orpheus, Callimachus, Aratus, Nicander, Theocritus, Moschus, Bion, Dionysius, Coluthus, Tryphiodorus, Musæus, Theognis, Phocylides, Pythagoras, qui autor carminum aureorum habetur, Apollonius, Rhodius, Oppianus, Cointus Smyrnæus, & Nonnus. Hos, si Nonnum excipias, gentiles omnes, uno volume comprehensos, Jacobus Leetius Aureliæ Allobrogum anno 1606, edit.

S. 5.

Tragici Poëtæ, juxta Diomedem, libr. 3. a τραγῳδίᾳ & ὥδη sic appellati, tres celebrantur, qui Oratione gravi metrica, exitum infelicem illustris fortunæ descripserunt; ut Sophocles, Euripides, & Æschylus, principes scilicet Tragoediæ veteris. Sophocles cum Scho-

Scholiaste Græco Francof. 1555. Eu-
ripides cum Scholiaste Græco Brodæi
Steph. 1602. Æschylus cum Scholiaste
Græco Petri Victorii 1557. impressi fue-
runt.

§. 6.

Inter *Comicos*, qvi supersunt, *Aristophanes*, Poëta *Atthiōtætē* excellit. Prodiit cum Scholiaste Græco Basileæ, 1547. Huic a nonnullis jungitur *Eze-
kielis*, Poëta ut videtur Christianus, qvi Hebræorum ἔζαγωγή seu eductionem ex Ægypto, carmine complexus est co-
micis usitato. Sed hoc integrum non amplius habemus. *Lyrici* vero carmi-
nis autores multi adhuc extant: ut *Pin-
darus*, *Alceus*, *Sappho*, *Stesichorus*, *Iby-
cus*, *Aiacreon*, *Bacchylides*, *Simonides*,
Alcman, *Archilochus*, *Melanippides*,
Telestes, *Pratinus*, *Erinna Lesbia*, *Al-
pheus Mitylenæus*, *Julianus Ægyptius*,
Theocritus & *Lycophron*. v. H. Stepha-
ni librum, qvo *Lyricos* præcipuos complectitur, Parisiis anno 1600. edi-

H 3 tum,

tum, & volumen Poëtarum Græcorum veterum tom. II. Coloniæ Allobrogum anno 1614. typis Petri de la Rouiere exscriptum. *Athenæus* quidem in libris Dipnosophistarum, *Suidas* in Lexico, & *Vossius* in libro de Poëtis Græcis, plures allegant; sed quia eorum libri aut carmina integra non supersunt amplius, nolo eorum nomina hic recensere. *Fulvius Ursinus Romanus* Antverpiæ anno 1568. carmina novem illustrium Fœminarum Græcarum edidit, ut *Sapphus*, *Erinnæ*, *Myris*, *Myrtidis*, *Corinna*, *Telesilla*, *Praxilla*, *Nossidis* & *Anyte*. Qvæ carminum mixti generis tantum fragmenta sunt.

§. 7.

Epigrammatum Græcorum scriptores varii, & pñne multi sunt. Qvos Heinricus Stephanus cum annotationibus uno opere, certe eruditio, & propter varietatem svavissimo complexus est. Vocatur a quibusdam *Anthologia Graca*: qvia instar horti cuiusdam, diversis,

diversis, pulcherrimis fvavissimisqve
exornatum est floribus. Prodiit Fran-
cfurti ex officina Wechelii, anno 1600.
confer citatum tom. II. Poëtar. Græc.
fol. 494. seqq.

§. 8.

Gentilibus Poëtis Græcis subjungim-
mus Christianos celebriores, non mi-
nus ob elegantiam, qvam pietatem
æstimandos atqve legendos. Tales
sunt Nonnus in *Metaphrasi in Joban-*
nem, Apollinaris in *Metaphrasi Psal-*
morum, Synefius in *Hymnis*, Gregorius
Nazianzenus in carminibus sacris, Am-
philochius in carmine Jambico ad Se-
leucum, (qvinam scripturæ libri sint le-
gendi,) a nobis seorsim edito; Job.
Damascenus in hymnis variis; Phile,
de Animalium proprietate; Georgius
Pisides de Mundi opificio. Job. Tzei-
zes, in libro variarum historiarum ver-
sibus politicis constante; Clemens Ale-
xandrinus in hymno in Christum Serva-
torem; Simeon Metaphrastes in Jambi-

cis
H 4

cis trimetris. *Cyrus Theodorus* in Epigrammatibus, qvibus omnia utriusq; Testamenti capita felicissime comprehendit; & alii, qvorum ætatem & Scripta *Vossius* libro jam allegato, & qvi hunc secutus est, *Gallus*, *Dominus de le Ferre*, in libello Gallico de *vitis poëtarum Græcorum*, *Lutetiæ Pariforum* anno 1665. publicato, recensuerunt.

CAP. II.

De Historicis Græcis.

§. I.

Magnus est Græcorum historico-
rum numerus, qvem apud *Gerb. Job. Vossium*, eorum vitas & libros re-
censem, legas. Nos præcipios
tantum allegabimus, qvi ob culturam
Græcæ lingvæ & comparandam rerum
civilium & ecclesiasticarum peritiam,
evolvi præcipue merentur.

§. 2.

Primus & antiquissimus, qvi hodie
extant,

extant, historicus inter Græcos est *Herodotus*, qui Darii Hystraspidae, Xerxis & Artaxerxis temporibus floruit, ac novem libros Musarum nominibus distinctos composuit. Dictioni, qua utitur, inest, ut Dio loquitur, ἀνέμενον ηγή τὸ γλυκὺ τῆς ἐπαγγελίας, h. e. remissa & dulcis omnia. Quam ob causam Atheneo l. III. audit, μελιζηνες h. e. mellifluus. Typis excusus est Francofurti anno 1608. & Londini 1679.

§. 3.

Herodotum excipit *Thucydides*, qui bello Peloponnesiaco interfuit, ac Herodoti exemplo excitatus, animum adscribendum historiam istius belli applicuit. Hic, *Ciceronis libr. II. de Oratore* sententia, omnes dicendi artificio facile vincit: ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porro verbis aptus, & pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Dein-

H 5

de

de cum illum Herodoto comparat; hunc ait, sedati instar amnis labi; Thucydidem vero incitatiorem ferri, & de bellicis rebus canere etiam quodammodo bellicum. Non dissimile est Fab. *Vintilianus l. X. c. i.* de eodem judicium. Paullo tamen obscurior videtur, quia, ut apud Latinos *Cornelius Tacitus*, subtilis, acutus, brevis & ob crebras sententias præfractior.

§. 4.

Ducem belli, sed historicum sequitur proxime dux belli, philosophus & historicus insignis, *Xenophon*, Grylli filius. Qui cum Cyro, bello ei, quod cum fratre Artaxerxe Mnemone gessit, interfuit, ac decem millia hominum in bello rexit. Quod ex libro ejus, qui *Kύρος ἀνθρώποις* nuncupatur, intelligere est. In libro *Ἑλληνικῶν* continuat Thucydidis de rebus Græcorum historiam. Scripsit etiam *Kύρος παρδεῖαν*, quam Cicero in *Bruto*, Cyrivitam

tam & disciplinam vocat; in qua ideam boni principis delineat. Ut gratiam rependeret Lacedæmoniis, qui ipsum receperant exulem, commentariolum de *Republ. Lacedæmoniorum* composuit. Ob styli puritatem, bonitatem ac elegantiam, Julio Cæsari comparatur; nisi quod Cæsar aliquando gravior, hic vero svavior sit. Ideo *Cicero in Oratore* ait, sermonem ejus esse melle dulciorem, Musasque ore ejus locutas esse. Et apud *Laërtium*, in vita *Xenophontis*, Musa Attica vocatur. *Dio Chrysostomus* orat, de dicendi exercitio, ad eum lectitandum serio adhortatur, in primis Civilis prudentiae studiosos.

§. 5.

Xenophonti sub jungimus *Polybium Megapolitanum*, ἀνέρα πολυμαθῆ, Scipioni Africano familiarem. Qui cum tempore Ptolomæi Philometoris in primis floruissebat, & deinde Romani venisset, Cornelius Scipio Africanus

H 6

eundem

eundem secum in Africam duxit, ejus consilio subinde usus. Hic Historiam παρθολικὴν h. e. universalem scribere aggressus, duos εἰσαγωγὴς præmitit: qvibus tempora, a Roma per Gallos, Brenno duce, capta percurrit, cæteris libris XXXVIII. ex qvibus qvinque primi tantum integri ad nos pervenerunt, gesta annorum LIII. complexus est. In stylo ejus Dionysius Halicarnassensis incuriam minusqve accuratam verborum comprehensionem notat. At vero id τῷ ἔτας ἐσπεδα-
 σμένῳ ἀνδεῖ, ut Strabo loquitur, condonandum; qvippe cui sufficit, τὸ ἐμ-
 περάκτον, οὐ τὸ ἀληθὲς τῶν ἐννοιῶν expressisse. Qvare If. Casaubonus in
 præfatione & notis, nec non Baclerus ob civilem prudentiam magis, qvam
 dictionis elegantiam, legendum esse censem. Prodiit Hanoviæ 1619. &
 Amstelodami ex recensione Clariss.
 Jac. Gronovii 1670,

§. 6.

§. 6.

Diodorus Siculus sequitur, qvi Julii Cæsar & Augusti ævo vixit, Βιβλιοθήκην ἰσορικήν, sive, ut Aristophanis Scholia stes interpretatur, τῶν ἰσοριῶν Βιβλιοθήκην scripsit, qva historiam universalem complecti voluit. Sed de libris ejus quadraginta supersunt tantum quindecim, & pauca apud Photium excerpta. Bodinus qvidem stylum ejus arrodit; verum Photius in μυελοβίβλῳ, cap. LXX. rectius censet, eum usum esse Φερίστη σαφεῖ τε, καὶ ἀπόριψι, καὶ ἰσορια μάλιστα πεπέσῃ, h. e. dictione perspicua, nec nimium ornata, sed historia maxime convenienti. Opera Diodori Rhodomannus Hanoviæ 1604. publicavit..

§. 7.

Eodem Augusti ævo floruit Dionysius Halicarnassensis: Qvi αρχαιολογίαν Ρωμαϊκήν, h. e. Antiquitatum Romanarum historiam composuit, viginti libris constantem; de qvibus hodie

H 7 qvin-

qvindecim extant. *Scaliger* in Animadversionibus Eusebianis, in eo laudat ἀνέβεστα in temporum annotatione, qva Livium superat. *Photius* stylum ejus vocat ναυονέπετη, h. e. decoram habentem novitatem: item tribuit τῷ οὐρφῶν ἐλόγῳ h. e. elegantiam orationis.

§. 8.

Strabo, Cnocco, urbe Cretensi, oriundus, tempore Tiberii floruit & libros Geographico-historicos elaboravit doctissimos, a Casaubono emendate editos. Qui ad veterum historiam intelligentiam adprime faciunt. Dictio, qva in Geographia laudata utitur, satis pura & tanto historico digna est. Huic jungimus *Ptolomeum*, cuius *Geographia* cum tabulis Mercatoris Francofurti 1618. impressa est.

§. 9.

Post gentiles historicos jam recensitos, & quidem excellentiores jam memoratos, hic inseri mereatur *Flavius Josephus*,

sephus, Matthathiæ filius, ex Hasmo-
næorum sive Maccabæorum stirpe or-
tus. Hic VII. libros de B. Judaico & XX.
libros Antiquitat. Jud. nec non libros
II. contra Apionem, judaicam gentem
vituperantem, composuit. Hierony-
mus, libello ad Eustachium de custodia
virginitatis, Græcum Livium nominat.
Nam censente Photio cap. 47. stylus e-
jus candidus, purus, elegans ac jucun-
dus, & in concionibus etiam disertus
est.

§. IO.

Succedat Plutarchus Chæronensis,
natione Bœotus, sub Cæsare Claudio
natus, sed sub Domitiano inclarescens,
& qvia Trajano dignitate ornatus fu-
it consulari, vir undiqueaque doctissi-
mus, philosophus, orator & histori-
cus inter gentiles summus. Hinc Euana-
pio in præfat. de Vitis Sophistarum
Θεσπέσιον divinus, & της φιλοσοφί-
ας απόστολος Α' Φερδίτη ηγή λύρα,, totius
Philosophia Venus ac Lyra. Dictio e-
jus

jus qvidem gravis, sed duriuscula;
Propter multijugam tamen scientiam,
præ omnibus legendus est Philologis.
Opera ejus ex recensione Xylandri
Francof. 1618. excusa prostant.

§. II.

Claudius Ælianuſ, licet in Italia na-
tus, ita tamen Attice loqvebatur, qvam
Attici Athenis, teste Philostrato. Qva-
re Μελίγλωσσος vel μελιφθορός
apud Suidam dicitur. Vixit Romæ
Adriani Imperat. ætate. Præter *Tacti-
ca*, libros XVII. de *Animalibus*, & libros
XIV. ποιήλας ἰσορίας, varias historias
continentes scripsit. Stylus ejus in li-
bris de *Animalibus* elegantior, qvam
in libris ποιήλης ἰσορίας. Qvapropter
suspicari licebit, extremam ab
ipso manum operi non fuisse admo-
tam.

§. 12.

Antonini Pii tempore *Appianus Ale-
xandrinus* floruit. Qui Historiam
Romanam, libris XXIV. complexus
est.

est. Librorum divisionem & argumenta in præfatione, & Photius in Bibliotheca recenset. Hodie ex vasto opere supersunt *Punica*, *Syriaca*, *Parthica*, *Mithridatica*, *Iberica*, *Annibalica*, *Illyrica*, de bellis civilibus libri V. & Celtorum fragmentum. Stylus, Photio judicante, est ἀπέρτης καὶ ιχνός, h. e. minime redundans, sed tenuis. Multum Polybio & Plutarcho eum debere, viri docti observarunt. Typis Stephani Parisiis, anno 1592. & Amstelodami cum emendatione Alex. Tollii, 1670. impressus.

§. 13.

Dиogenes Laërtius, qui vel sub Antonino Pio, vel paullo post vixit, X. libros de vitiis Philosophorum composuit utilissimos; quippe ex quibus veterum Philosophorum sententias ac seetas cognoscere licet. Menagius, Gallus doctissimus, illos insigni commentario illustravit.

§. 14.

§. 14.

Sub M. Antonino Philosopho vixit *Polienus*, scriptor elegans ac argutus, qvi octo libros de *præstantium ducum stratagematis* composuit. Qvos *Iſ. Casaubonus* primus Græce edit.

§. 15.

Hac ætate *Pausanias* quoque floruit. Qvi X. libros de *Græciâ & ejus antiquitatibus* composuit historiæ legendæ utiles. Stylus quidem ejus languidior est, res tamen, quas describit, lectu oppido dignæ sunt. Typis Hanoviæ 1613. impressus fuit.

§. 16.

Non omittendus est *Athenaeus Naufragia*, Grammaticus & Polyhistor maximus. Qvi Commodo & Pertinace imperantibus, claruit, ac libros XII. Δειπνος Φιλων elaboravit: qvi philologiae studiosis maxime, si Casauboni juntantur animadversiones, perutiles censentur. Commelinus illum anno 1598. edi-

edidit. Prodiit etiam Lugduni anno
1612.

§. 17.

Σύγχρονος Athenæo fuit *Lucianus Samosatensis*. Qui licet Epicureæ sectæ addictus ac irrisor Deorum hominumque extiterit; utilem tamen librum composuit, πῶς δεῖ ισορίαν ουτερόειν; item, *historiam de Dea Syria, de vita Demonatis, de Cæsaribus & alia*. Dictio ejus pura & satis elegans habetur. Quate propter lingvæ Græcæ puritatem vulgo commendari solet. Nuper cum notis variorum in Belgio prodiit; cum ante Salmurii 1619. publicatus esset.

§. 18.

Philostratus, jussu Juliæ τῆς Βασιλίδος, h. e. uxoris Severi Augusti, Apollonii Tyanæi, qui famosus impostor ac Magus fuit, vitam elucubravit. Eunapius ait, hunc opus suum debuisse inscribere potius Θεοῖς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν, quam Απολλωνίον. Stylo gaudet

gaudet svavi, perspicuo & eleganti. *V.*
Photii Biblioth. Sect. XLV. Prodiit Pa-
 risiis 1608.

§. 19.

Dio Cassius Coccejanus Historiam Ro-
 manam LXXX. libris complexus, de
 qvibus XXXIV. interiere, extantibus
 adhuc tantum XXV. qvi incipiunt a
 Luculli gestis, ac desinunt in morte
 Claudii Cæsaris. Qvi inde seqveban-
 tur, etiam desiderantur. *Johannes*
Xiphilinus tamen eorum ἐκλογας seu
 excerpta nobis servavit. *Photio* in
Biblioth. Sect. LXXI. judice, stylus
 ejus grandis est, qvippe qvi in concio-
 nibus Thucydidem æmulari voluit.
 Typis Hanov. anno 1606. impressus
 fuit.

§. 20.

Eodem tempore Alexandri Mam-
 meæ filii *Herodianus* floruit: Qvi
 stylo eleganti, perspicuo ac tali plane,
 qvalis historicum decet, octo libros
 historiarum condidit, exorsus ab
 excel-

excessu M. Aurelii Antonini Philo-
phi.

§. 21.

Porphyrinus, cuius vitam Eunapius descripsit, quidem inter Sophistas celebres est; sed tamen etiam locum inter historicos meretur; Qvia Philosopherum vitas, teste Cyrillo Alexandrino, libr. 1. contra Julianum, scripsit. Extat adhuc vita Pythagoræ, quam sub nomine Malchi primum Rittershusius edit. Qvia Syrorum lingva Porphyrius dicebatur Malchus: πορφύριος enim regibus propria erat, inde proles regia πορφύριον dicebantur. Hunc Porphyrium primitus Christianum fuisse, sed postea religione hac deserta, paganum factum esse, Augustinus innuit. Stylo utitur Sophistis illo tempo-
re usitato.

§. 22.

Inter Christianos historicos Græcos Eusebius Pamphili (ita ob amicitiam Pamphili martyris dictus) Cæsareæ Pa-
lesti-

DE HISTO
Ecclesiasticam
erunt qvinq
partes, cod.
parte judicat,
parte, vel
etiam Et
ut,

Theodosii ju
Zijus, come
viii, qv VI. li
reliqui, scripto
Dictionis Pho
spicu, partit &

Olympiadis
num libros Th
ylo, comme
venienti, usus
flos Zijus, sive
ariam dixit,
mentarius ill
eventibus te
a scriptore

Iæstinae episcopus, vir ὁ πολυμαθὴς καὶ
πολυτόξος: Qui Chronica a condito
mundo, ad annum Christi CCCXXVI.
scripsit: item XX. libros ἀποδείξεως
ἐναγγελικῆς, de qvibus hodie X. tan-
tum supersunt. In libris παρασκευα-
σικῆς ostendit origines historiæ philo-
sophicæ. Sed historia Ecclesiastica li-
bris X. constans, & libri IV. de vita Con-
stantini M. qvibus Xenophontem in
Cyropædia sua imitari voluit, maxime
huc spectant, & a studiosis Theologiæ
evolvi merentur cum Valesii Annotati-
onibus.

§. 23.

Eusebio subjungimus Socratem Scho-
lasticum, qvi historiam Ecclesiasticam
Eusebii ad Theodosii Minoris tempora,
septem libris continuavit, stylo usus
non admodum splendido. Meliori
dictione Hermias Sozomenus, Salami-
nius Scholasticus novem libros hist.
cecl. adornavit. Theodoreetus, Episco-
pus Cyri iisdem temporibus historiam
Eccle-

Ecclesiasticam condidit, de qua sus-
pensunt quinque libri. Stylum ejus
Photius, cod. XXI. historiæ magis con-
venire judicat, quam istum, quo vel
Socrates, vel Hermias Sozomenus,
vel etiam *Evagrius Ponticus, usi*
sunt.

§. 24.

Theodosii junioris tempore etiam
Zosimus, comes & exadvocatus fisci
vixit, qui VI. libros historiæ Romanæ
reliquit, scriptor Christianis infestus.
Dictio ejus, Photio judice, brevis, per-
spicua, pura & siccata est.

§. 25.

Olympiodorus, qui historiarum sua-
rum libros Theodosio juniori dicavit,
stylo, commentariis, non historiæ con-
venienti, usus. Qvarae & ipse libros
suos ὕλην, sive *sylvam* aut historiæ ma-
teriam dixit. *Photius* excerpta ex com-
mentariis illius exhibet. Fuerunt se-
quentibus temporibus & alii clari Græ-
ci scriptores, ut *Hesychius, Illustris Mile-*
sus,

sius, *Procopius*, rhetor & historicus sub Justiniano celebris; *Agathias Scholasticus* dictus; *Evagrius Scholasticus* historiæ Ecclesiasticæ scriptor non impolitus, aliiqve, qvi res Byzantinas descripsere. Hos præter Vossium, *Vir Cl. Martinus Hanckius* peculiari libro, de Byzantinarum rerum scriptoribus reconsent. Nos, cum stylus horum, barbarie ingruente, qvodammodo inquiniari cœpit, nolumus heic illos longa serie adducere; cum nominati jam autores ad excolendas Philologiam & historiam Græcam sufficere queant juveni, si *Jo. Meursii* libros de variis Græcorum rebus editos simul consulat. Historiæ Romanæ Scriptores Græci minores Francofurti in fol. 1590. impressi sunt.

CAP.

CAP. III.

De Oratoribus Græcis.

§. 1.

Principes Oratorum Græciae *Demosthenes & Aeschines* sunt: Qvorum elogia & vitas Hieronymus Wolius eorum operibus præmisit.

§. 2.

Demosthenes, qvi Aristotelis σύντομο inquit, & præceptoribus Isoeratè, Platone & Isæo usus, in arte oratoria ac eloquentia ita profecit, ut profummo Græciæ oratore haberetur. Plurimus in eo laudando passim Tullius; qvippe qvem sibi imitandum proposuerat. Hinc *Juvenalis* de illo Sat. X.

Sævus & illum
Exitus eripuit, qvem mirabantur Athene,
Torrentem & pleni moderantem frenæ
theatri.
Diis ille adversis genitus, fatoqve sinstro,

I

Quæste

Qvem pater ardentis massæ fuligine lip-
pus
A carbone & forcipibus, gladiosque pa-
rante
Incude & luteo Vulcano, ad rhetora
misit.

Plutarchus in vita ejus, 65. Orationes
ab eo scriptas refert. Qvas Photius
maxima ex parte se legisse fatetur.
cod. 265. Biblioth. Athenienses ipsi
statuam cum hac inscriptione posue-
runt:

Ἴπτερον γνώμην πάρανν Δημόσιενες
εἰχεις,
ἢ ποτ' αὐτὸν Εὐλόγινων ἱερέων Αἴγεις Μα-
κεδῶν.

Si magni vires animo Demosthenis æ-
quent,

Gracianon Macedum Marte subactâ
foret.

S. 3.

Æschines & ipse Atheniensis, De-
mosthenis æmulus, eujus orationes
tres extant, Charites Græcis, & aliquot
Episto-

DE ORATORIBVS GRÆCIS. 125

Epistolæ, Musæ dictæ. vid. *Laërtium* in vita Æschinæ, ubi septem alios Oratores Græcos memorat, inter quos Mytilenæus, Flagellum Oratorum audiit.

§. 4.

*I*socrates eodem tempore Athenis ob eloquentiam claruit, Orator suavis & numerosus in dicendo. Vitam ejus Plutarchus scripsit, quam Hieronymus Wolfius recensuit. Suida referente διὰ μὲν τῆς Φωνῆς τὴν ἀτονίαν καὶ ἀπάρ-ρησιάς, δίκαιος δὲ εἶπεν, h. e. propter vocis gracilitatem & verecundiam causas non egit: ἐδίδαξε δὲ πλείστους, καὶ λόγος γέγραφε λαβ. h. e. plurimos docuit & orationes scripsit XXXII. Vid. *Pho-*
tii Biblioth. Cod. 260.

§. 5.

Huic jungimus alios veteres Oratores Græcos *Lysiam*, *Andocidem*, *Iſaum*, *Di-
narchum*, *Antiphontem*, *Lycurgum*, *Herodem* & alios, quorum Orationes *Henricus Stephanus* uno volumine com-

I 2 pre-

prehensas edidit. *Plutarchus tom. II.*
opp. *vitas eorum* recenset. Rhetores
 Græci omnes Venet. in fol. 1519. im-
 pressi sunt. Possunt huc etiam *Theonis*
Sophistæ Progymnasmata *Lugduni*
Batavorum 1626. edita referri.

§. 6.

Atque hi ex veteribus præcellunt.
 Post Christum vero natum, *Sophistæ*
Græcorum, artem excoluerunt rho-
 toricam, ac cum philosophorum nomen
 eviliusset propter *vitia*, qvibus scate-
 bant, animum ad eloquentiam appli-
 cuerunt, revocantes pristinum Sophi-
 starum nomen in lucem & usum melio-
 rem. Rhetores enim appellabantur ac
Sophistæ. Plurimorum vitas *Eunapius*
 & *Philostatus* memoriae prodiderunt;
 ut veterum Philosophorum *Laertius*;
 qvos hic recensere nihil attinet: *Julia-*
ni tamen imperatoris & παραβάται *O-*
rationes, qvæ in operibus ejus extant,
 propter styli Græci puritatem laudan-
 tur. *Epistolarum* Græcarum auto-

rec

res XII. Parisiis 1605. typis exscripti sunt.

§. 7.

Sed cum Christiani simus, magis sva-
serim juvenibus, qvi se Ecclesiasticæ ca-
thedralē præparant, ut Oratores Græcos
Christianos legant, qvales sunt *Basilius*
Cæsariensis Episcopus, *Gregorius Nyssen-*
nus, frater *Basilii*, *Gregorius Nazianze-*
nus, & qvi dicendi flumine omnes ali-
os superat, *Johannes Chrysostomus*, E-
piscopus Constantinopolitanus, cujus
Orationes qvædam seorsim extant.

§. 8.

His tamen præmitti possunt *Justinus*
Martyris & Athenagora Apologiae pro
Christianis exaratae. Item *Theodoreti*,
Cyrensis Episcopi, ἐλληνικῶν παθημά-
των θεραπευτικῆς ἐναγγέλικῆς ἀλη-
θείας ἐξ ἐλληνικῆς φιλοσοφίας ἐπί-
γνωσις, qvæ constat XII. Orationibus de
argumentis Theologiæ Christia-
næ conscriptis.

CAP. IV.

De Philosophis Græcis.

§. 1.

In ter Philosophos Græcos, qvi super-
sunt, principes facile sunt *Plato & Aristoteles*. Nam et si ante hos duum-
viro s in Græcia multi philosophiam
professi sunt; libritamen eorum inter-
ciderunt.

§. 2.

Platonis Philosophia, qvæ ex Hera-
clitica, Pythagorica & Socratica mixta
est, ut *Laertius* in Platone refert; Dia-
logis comprehenditur. In qvibus se-
dulo distingvendura, qvæ Platonis,
qvæ aliorum sit sententia. Suam in
persona Socratis vel Timæi proponit;
aliorum ex Gorgiæ, Protagoræ & alio-
rum. Multa illis, qvorum nomine lo-
quitur, affingit. Hinc cum Plato co-
ram Socrate legisset, is Lysidæ dixit,
εις ποιλα μη καταψευδεται υεντων θηριον
ut multa de me mentitur adolescens.

§. 3.

§. 3.

Diserte adeo Philosophiam tractavit, ut Jovem Platonis lingua usurum fuisse, si Græcè loqui vellet, vulgo dixerint. *B. Hieronymus libr. 1. adversus Jovinianum hunc*, ut Græci, Θεῖον, ita ipse divinum, profundum vocat, qvi a juvenilibus ingenii intelligi nequeat. Artificium Orationi à Dialogis, qvi bus post Zenonem Eleatem, primus usus est, accedit. Stylus ejus etsi elegans satis, non tamen Philosophiae convenit: qvia multum gaudet Metaphoris, iisqve non verecundis, sed audacibus & plane poëticis atqve φορητοῖς. Ad philosophandum dictio propria & perspicua magis idonea est, qualis Aristotelis & Theophrasti est. Platonis ad poeticam prope dictiōnēm accedere, Aristoteles & Cicero in *Bruto* judicant. De cætero Platonis Philosophia Patribus primitivæ Ecclesiæ pluris æstimata fuit, qvam Aristotelis. Qvia Plato agnovit unum esse

esse Deum summum opificem universi.
 V. Augustin. l. XI. de C. D. c. 8. 9. & 11.
 idem & mundum cœpisse arbitratus est,
 cum Aristoteles ejus æternitatem statu-
 isset. Qvanquam in eo erravit Plato,
 qvod ex materia coæterna Deum fabri-
 casse mundum docuerit; qvam ob
 causam Deum non ποιητὴν, factorem,
 sed ὀηματερὸν fabricatorem dixit. Ope-
 ra ejus cum Marsili Ficini commenta-
 ria Francofurti 1602. impressa sunt.

S. 4.

Platonis Philosophiam ex Græcis
 professi sunt *Philo Judæus*, *Plotinus*, *Jam-
 blichus*, *Porphyrius*, *Proclus*, *Maxi-
 mus Tyrius*, *Alcinous*. Philonis Græ-
 ce satis docti opera habemus Græce &
 Latine edita. *Plotinus* LIV. libros re-
 liquit in Enneades divisos. *Porphyri-
 us*, *Plotini* discipulus, supra a nobis de-
 scriptus fuit. *Jamblichus* *Porphyrii*
 discipulus Constantini M. ævo floruit.
 Cujus de vita Pythagoræ volumen &
 duas orationes protrepticas habemus.

Pro-

DE PHILOSOPH. GRÆCIS. 201

Proclus Lycius fuit; Extant sex ejus libri de Theologia Platonica, & super sunt commentarii in Timæum & libros de Republica: Christianis infestus fuit. *Maximus Tyrius* elegantes sermones de variis rebus composuit. *Alcinous* Epitomen philosophiæ Platoniciæ confecit, qvam *Ficinus* Latine vertit.

S. 5.

Peripateticorum princeps & Platoni discipulus, qvi fræno opus habuit, *Aristoteles* fuit. Hic Platonem post qvam viginti annos audivisset, scho las aperuit philosophicas, in qvibus, non ut poetæ veteres, mythica philosophia, nec symbolica, ut *Pythagoras* & sëpe etiam *Plato*; sed aperta & per spicua, qvæ proprietate gaudeat ver borum, usus est. Μεθοδικός etiam fuit cæteris, cum omnia pro seculi istius genio, accuratius definire, dividere ac pertractare studuerit. Qva propter Cicero eundem l. V. de Finibus.

I 5

l. I.

*I. i. Tuscul. & i. de divinat. Augustinus
de C. D. l. VIII. c. 12. prolixo laudant.*

§. 6.

Libri ejus alii sunt *cinqquaginta*, aliix
sexagesimam. In his rō ὅτι pingviori
Minerva docebat; in illis accurate
omnia, privatis quasi discipulis demon-
strabat. *V. Gellium l. XX. c. 4. Clem. A-*
lex. l. V. σεματ. Aeromaticos ex-
plicabat mane inambulando; Exoteri-
cos vesperi tradebat. Genus dicendi,
qvod amavit, strictius est; qvippe phi-
losophiæ magis accommodatum.
Hanc ob causam figuræ & tropos rari-
us sectatur, rerum & sententiarum bre-
vitate usus. Ex interpretibus ejus
optimus censemur *Alexander Aphrodisi-*
ensis, qvi Aristotelis sententiam prese-
seqvitur. *Simplicius & Ammonius*
non pari studio eundem interpretati-
funt.

§. 7.

Editiones Aristotelis quinque pro-
stant; Latina Gemusai, Basilea 1548.
in

in fol. Latina *Prosperi Cyriaci*, Basil. 1563. fol. Græco-Latina *Is. Casauboni*, Coloniæ Allobrog. fol. Cræco-Latina *Guilielmi Duvalii*, Parisiis 1654. Græca, cum additamentis qvibusdam Theophrasti, Alexandri, Cassii, Sotionis, Athenæi, Polemonis, Adamantii, Melampodis, opera & studio *Frid. Sylburgii Veterensis*, Francofurti in 4to.

1587.

§. 8.

Editio *Prosperi Cyriaci*, ut recentior est, qvam *Gemusæi*, sic auctior qvoque. Quid in ipso textu accesserit, disci potest ex collatione: ubi & hoc memorandum, libellum de *inundatione Nili* ne in *Casauboni* qvidem editione comparere. Ac testatur *Cyriacus* in dedicatione partis quartæ, eum in per-vulgatis Græcis operibus philosophi non reperiri. Eadem *Cyriaci* editio versiones propemodum omnes (pau-cissimas enim excipere licet,) mutavit. Præterea copiosior est, adjectis passim

I 6 dia-

diagrammatis, seu figuris mathematicis. Libros etiam quosdam a Gemusaeo non divisos, in capita dividit. De cætero quæ ipsi accesserint, ex collatione & inspectione ejusdem videre est.

§. 9.

Catalogus tractationum novarum, quos *Guil. Du-Vallius*, auctor Synopseos, novissimæ editioni addidit, & propædiam novam partim, partim appendices novas ideo appellavit, quod prioribus desint editionibus, ut, (1.) Propædia nova ad Philosophiam, sive Appendix ad Apparatum, in duas columnas distributa: de temperamento ad philosophandum idoneo. (2.) Appendix nova ad Anthologiam anatomicam de statu Aristocratico, sive Aristocracia humani corporis. (3.) Appendix nova ad libr. I. Politic. Aristotelis, quæstiunculas sive disquisiciones complectens selectiores. (4.) Appendix nova ab libr. II. Politic. quæstiones complectens selectiores. (5.) Ap-

Appendix nova ad libr. III. & IV. Polit. item alia, ad reliquos libros Polit. (6.) Appendix nova ad sectionem XI. Problem. Aristotelis, sive de Voce, ut ad Medicinam pertinet οὐδείσσομα ἵατερλογικὸν. (7.) Præfatio ad Phyto- logiam. (8.) Præfatio parænetica ad Phytologiam. (9.) compendium Phy- tologicum, sive doctrina de plantis. (10.) Lexicon sive vocabularium Phy- tologicum. (11.) ἐπίμετρον, sive Au- ctuarium ad Synopsin, notas exponens selectiores.

§. 10.

Aristoteli successit *Theophrastus Ere- sius*, alias Tyrtamus vocatus, v. *Sin- bon. l. XIII.* qui ob divinam facundiam bis mille auditores habuisse dicitur La- tertio & Hesychio. Libellum ejus de caræteribus morum a Casaubono edi- tum H. Grotius aureum vocat; & sane lectu dignissimus est. Qvam ob cau- sam etiam illum mea opera recusum, publice explicare non ita pridem ope-

ræ pretium duxi. Opera Theophrasti
Lugd. 1613. excusa prostant.

III.

Post sectam Peripateticam Stoicam celebris inter Græcos, cuius auctor Zenon Citticus, σοιοῦς αἰρέστως αἰεκτητης; confer A. Gellium l. XVII. c. 15. Hujus scripta cum non supersint amplius, Epictetus in Enchiridio, Simplicius in Scholiis, & qvi hoc copiosior est, Arrianus, qvi dissertationes Epicteto habitas collegit, omnino legendi sunt: in qvibus & graves sententiæ & egregia præcepta moralia continentur. Amavit hanc sectam M. Antonius imperator, cuius libros τὰ εἰς ἑαυτὸν inscriptos, Mericus Casaubonus & Gattackerus notis illustratos ediderunt. Clemens Alexandrinus non dissimulat, se Stoicæ Philosophiæ addictum fuisse. Inter recentiores Scriptores Justus Lipsius hanc philosophiam in deliciis habuit. V. ejus introductionem.

6. 12.

§. 12.

Inter Philosophos Græcos, & quidem Pyrrhonicos, excellit *Sextus Empiricus*, qui sectæ hujus placita in suis adversis Mathematicos & Hypotyposeon libris erudite tractat. Opera ejus anno XX, hujus seculi Aureliae excusa sunt cum vita ejus. Henricus Stephanus Latine vertit & notas adjecit, quæ Parisiis & Antverpiæ, nec non Genevæ anno 1621. prodiere. Formula ejus Pyrrhonica fuit: $\delta\mu\alpha\lambda\lambda\sigma\tau\tau\sigma$, $\eta\acute{\epsilon}\kappa\acute{\epsilon}\nu\acute{\omega}$, non magis hoc, quam illud; item, $\delta\delta\acute{e}v\acute{o}\acute{c}i\acute{\zeta}\omega$, nihil definio. Similiter $\sigma\kappa\acute{e}\pi\acute{l}\acute{\o}me\nu\acute{\zeta}$ διατελῶ considerans persevero, vel, παντὶ λόγῳ λόγοισι, omni rationi ratio opposita reperitur. Hæc suspensio judicii appellabatur αἱρέσια, quia neque in hanc, neque in illam partem, vergebant sententia, item, αἱράσια, quia nihil dicebatur. Aristoteles apud Eusebium l. XIV. Præparat. Evangel. simili modo refert, eos dixisse de unaqvaque

re:

re: ὅτι Ἀ μᾶλλον ἐστιν, οὐ τόπος ἐστιν, οὐ
καὶ ἐστι. οὐδὲ τόπος ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἐστιν,
i. e. Non magis est, quam non est, item,
Est, Non est, Neque non est. Ex quin-
ibus vocibus adparet, hanc sectam Chri-
stianæ religioni valde contrariam
fuisse.

§. 13.

Huc referri merentur alii Philoso-
phi, & ex parte rhetores Græci non
minus clari, quibus adhuc uti possumus;
ut, *Palæphatus*, *Euclides*, *Demetrius*
Phalerenus, *Archimedes*, *Hipparchus*,
Theodosius Tripolites, *Apollonius Dysco-
tos*, *Aristides Sophista*, *Alexander*
Aphrodisiensis, *Libanius Sophista*.

§. 14.

Palæphatus, *Parius* περὶ τῶν ἀπί-
στων ιστοριῶν, de historiis incredibilibus
elegantem libellum composuit; quo
ostenditur, ut Poëtæ historias in fabu-
las commutaverint. Edidit illum
Cornelius Tollus anno 1650. & Marti-

nus

DE PHILOSOPHIS GRÆCIS. 209

nus Brunnerus, Professor Upsaliensis
clarissimus.

§. 15.

Euclides non Megarensis, sed Ægyptiacus, Geometra & Mathematicus insignis. Græce cum Scholiis Procli anno 1553. Basileæ prodiit. Vid. Vossium de scientiis Mathematicis cap. XV.

§. 16.

Demetrius Phalericus, discipulus Theophrasti, libellum περὶ ἐπονείας, de elocutione elaboravit elegantissimū, qvi Oxonii cum Tiberio Rethore, Anonymo Sophista & Severo Alexandrino, Græce & Latine anno 1676. impressus fuit.

§. 17.

Archimedes de Sphæra & Cylindro, de dimensione circuli, de arenæ numero & similibus Græce scripsit. Primus in Germania Hervagius eum excudi curavit Basileæ anno 1544. Præstantiam

am hujus scriptoris commendat *Vossius*
de scient. Mathemat. c. 16. §. 2.

§. 18.

Hipparchus celebris ante natum Christum Astronomus: Cujus in Arati Eudoxi phænomena libros XIII. & librum asterismorum, Petrus *Victorius Florentia& Gr. & Lat.* anno 1567. edit. Sed *Dionysius Petavius* eum tomo III. de Doctrina Temporum inse-
 ruit.

§. 19.

Nec prætereundus hic est *Hierocles*, Philosophus insignis, qvi in Aurea Pythagoreorum carmina commentarios Græcos adornavit, qvos *Joannes Carterius* Latine interpretatus est. Deinde etiam de *Providentia & Fato* commentarium scripsit, quem cum ejusdem Fragmentis & Lilii Gyraldi interpretatione symbolorum Pythagoræ, notis que Merici Casauboni ad commentarium Hieroclis in aurea carmina, *Joannes Pearsonius* Londini anno 1673. addi-

additis Prolegomenis eruditis, publicari curavit.

§. 20.

His jungemus *Historia Poëtica* scriptores antiquos Græcos, ut *Apollodorum Athenensem*, qui Bibliothecam composuit ad fabulas Poetarum intelligendas utilem; *Cononem*, qui Διηγήσεις seu Narrationes quinquaginta elaboravit; *Ptolomæum Hephaestionem*, qui περὶ τῆς εἰς πολυμαθίαν καίνης ισορίας λόγος z. h. e. *Nova ad variam eruditionem historiæ libros VII.* scripsit; *Parthenium Nicaensem* περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων vel de amatoriis Affectionibus librum reliquit; Et *Antonium Libalem μεταμορφώσεων συναγωγὴν*, seu *Transformationum Synagogem*. Hos inquam auctores doctissimus Anglus *Thomas Gale* cum notis anno 1675. Parisiis publicavit.

§. 21.

Referemus etiam ad *Philosophos Medicorum Græcorum Principes*; quia Medicina

dicina olim Philosophiæ pars fuit. Sunt autem illi *Hippocrates Cons.*, & *Galenus*; ille ante Christum natum quinto seculo floruit, & dialecto Jonica usus, libros de re medica præstantissimos scripsit. Opera ejus conjunctim Græce & Latine Venetiis anno 1588. cum notis Hieronymi Mercurialis, & non ita pridem Parisiis edita fuerunt. Hic vero (*Galenus*) seculo post Christum natum primo vixit. Libri ejus Basileæ anno 1538. Græce quinque tomis distincti, & Venetiis Latine anno 1625. in septem classes distincti, lucem aspexerunt, & artis philosophicæ & eruditio-
nis penū habentur, etiam in rebus non
medicis. *Labbæus* Elogium Galeni
edidit.

§. 22.

Eodem hoc seculo medici & alii Græci inclarerunt, ut *Trallianus*, *Aretæus Cappadox*. v. *Henrici Stephani* opus, cui titulus, *Medicæ artis principes*, post Hippocratem & Galenum, anno 1567. impressum.

§. 23.

§. 23.

Possunt etiam philosophis Græcis, aut historicis accenseri Gramm. Græci, qvi vel Gramm. vel Lexica scripsérunt; ut *Apollonius Alexandrinus*, cuius de *Syntaxi*, seu *constructione orationis* libri IV. extant. Friderici Sylburgii opera, cui Procli Christomathia Grammatica subjuncta est, Francofurti anno 1590. apud Wechelios excusa. *Julius Pollux*, Naukrattia Grammaticus sub Imperatore Commodo clarus, *Onomasticon* scripsit Græcum, qvod *Bæclerus* opus eruditissimum & incomparabile vocat. Qvia non tantum vocabula, sed & varias res ad philosophiam pertinentes, explicat.

§. 24.

Non minori laude ornatur *Hesychius Grammaticus*, sive Casaubono judice in Athenæum, Glossographorum longe princeps: Et in Epist. 49. omnium veteram criticorum, qvos habemus hodie, longe, si quid judico, ait, doctissimus

mus & serio Græcantibus apprime utilis. Multas dictiones N. Tti explicat, ex qvo colligitur, fuisse Christianum. *Flacius Illyricus* Nazianzeni auditorem ac discipulum in Catal. Test. verit. vocat.

§. 25.

Suidas seculo post Christum N. sexto clarus, vel, ut alii malunt, seculo undecimo temporibus Alexii Comneni, qvod ex voce, qvam explicat, A'dam apparet, Lexicon seu opus historiæ variæ conscripsit, in qvo plurima fragmenta scriptorum amissa exhibet, etiam cum nomina non citantur. *Aemilius Portus*, Francisci filius, Græcum textum multis locis emendavit, obscura explicuit & Latine interpretatus est. *Vossius* qvidem non admodum præclare de eo sentit; cum virum nullius judicii, doctrinæ autem mediocris vocat *l. 2. de Histor. Gr. c. 26.* sed tamen usum præstat in Græcitatis studio. *Is. Casaubonus* in Notis ad Diogenem Laertium, illud

illud multis mendis scatere arguit, qvæ
a Porto non fuisse observata, ipse mira-
tur.

§. 26.

Non omittendus heic est *Harpocratiōn Valerius*, Rhetor Alexandrinus; qvi, ut Philippus Jacobus Maussacus habet, Veri imperatoris præceptor fuit, & *Lexicon decem Oratorum Græciorum* posteritati reliquit, collectis in unum præcipuis eorum loquendi generibus. Qvod Nicolaus Blaſcarius Leidensis Latine vertit; Philippus autem Jacobus Maussacus & Heinricus Valeſius, notas & Animadversiones adjecerunt. Prodiit nuper Lugduni Batavorum anno 1683. *Glossaria veterum Philoxeni Placidi &c. Lugduni excusa pro-*
stant.

CAP.

CAP. V.

De Theologis Græcis ac
Patribus Christianæ Eccle-
siæ.

§. 1.

Inter Theologos Græcos, ante omnia, se nobis offerunt viri Θεόπνευστοι in N. Fœderis voluminibus nominati: Primo IV. Evangelistæ; deinde Actus Apostolici; tum XIV. Epistolæ Paulinæ; inde Epistolæ Catholicæ, denique Apocalypsis Johannis. Primus Evangelium scripsit *Matthæus*, qvod ex Ebraico idiomate in Græcum sermonem, vel ab Apostolo, vel Apostolico viro translatum fuisse, multi credunt. *Marcus* inde, *Lucas* & *Johannes* eandem historiam divino instinctu composuerunt. Qvod alibi fusiſus declaravimus.

§. 2.

Inter Scriptores Ecclesiasticos ac Patres, qui a reverentia ita appellari solent,

lent, Primo occurrit *Ignatius, Episcopus & Martyr*, cuius Epistolæ a Nicolao Vedelio, Genevæ, Uſſerio Armachano in Anglia, & Iſ. Voffio, in Belgio editæ prostant. Huic jungimus antiquissimos duos Apologetas, *Justinum Martyrem, & Athenagorum* ab Heinrico Stephano, & deinde Sylburgio Græce & Latine, nuperque nostra cura denuo editos.

S. 3.

Qvia v. in historia Ecclesiastica, ex instituto cum de Græcis, tum de Latinis Scriptoribus Ecclesiasticis egimus; heic solum nomina Patrum Græcorum & quidem antiquorum indicabimus reliquorum. Sunt autem illi, qvorum scripta adhuc maximam partem extant, præcipui, *Justinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus*, qui adversus gentiles scripsere; *Hermias Philosophus* orationem, qva gentiles philosophos exagitat, reliquit: *Hippolytus*, cuius demonstratio de Antichri-

K.

sto

sto Marqvardi Goudii opera prodiit; Clemens Alexandrinus in Theologia universalis adversus gentiles scriptor, omnigena eruditione imbutus, cuius opera Heinrius edidit; Origenes Adamantius, plurima qvidem scripsit; sed quæ supersunt, 2. tomis continentur. Petr. Daniel Huetius nuper commentaria ejusdem in S. Scripturas publicavit, præfixa historia de Origene & ejus scriptis. Gregorius Thaumaturgus Expositionem fidei & alia scripsit, quæ a D. Gerardo Vossio Moguntiae edita sunt; Methodius Parisiis prodiit. Eusebius, cuius historia Ecclesiastica ab Heinrico Valcko memorabilibus notis illustrata, jam supra laudata fuit. Præterea vero scripsit Preparationis Evangelicæ & Demonstrationis utilissima opera pro veritate Christianæ religionis, contra ethnicos, quæ post Roberti Stephani Græcam editionem, cum versione nova Vignierii, edita sunt Parisiis Græce & Latine. Chronicon ejus a Josepho Scaligero

ligero animadversionibus illustratum est. *Apollinarismus* Methaphraſten Psal-
morum supra memoravi. *Epiphanius*
Græce & Latine a Dionysio Petavio
Parisiis editus, antiquitatis Ecclesiasticæ
studiosis inprimis necessarius est. *Ba-
ſilius Magnus Ponticus* Græce & Latine
Parisiis prodiit, præstat magnifica elo-
quentia. *Gregorius Nazianzenus*, Ba-
ſilii conjunctissimus olim commilito,
Græce & Latine Parisiis cum Nicetæ &
Billii notis editus, sublimi dicendi ge-
nere, qva prosa, qva vorsa oratione
utitur. *Athanasius* Græce & Latine
cum interpretatione Petri Nannii, ex
officina Commeliniana prodiit, qvi
malleus hæreticorum, in primis Aria-
norum, audit. *Evagrius* inter histo-
ricos Ecclesiasticos memoratus, Græce
& Latine a Christophoro Sonio Gene-
væ, & nuper ab Henrico Valesio Parisi-
is editus est. *Amphilochius* Græce &
Latine Parisiis excusus est. *Macarius*
Senior, *Ægyptius Monachus*, Græce

K 2

&c.

& Latine Parisiis anno 1638. editus. *Johannes Chrysostomus*, profluente eloquentia svavis & efficax, Homiliaestes melior, qvam exegetes, octo tomis Græce & Latine Parisiis prodiit. *Cyrillus Hierosolymitanus*, qvi Catecheses scripsit, Græce & Latine Parisiis excusus est. *Philostorgii Epitome historiae Ecclesiastice*, a Jacobo Gothofredo Græce & Latine edita fuit Genevæ. *Cyrillus Alexandrinus*, gravis & eruditus Theologus, Parisiis anno 1605. Græce & Latine prodiit. *Socrates & Sozomenus*, historici Ecclesiastici, ab Henrico Valesio cū Commentariis eruditis evulgati sunt Parisiis, & Moguntiæ nuper recusi; *Synesii* diserti & eruditissimi viri opera Græce & Latine Dionysius Petavius edidit Parisiis: *Theodoreti* opera, exqvisita eruditione & eloquentia referta, Parisiis IV. tomis edita sunt. *Eusebii Emeseni Homiliae* Parisiis anno 1575. prodierunt. *Isidorus Pelusiotæ* a *Conr. Rittershusio* & *Andr. Schotto* Græce

Græce & Latine Parisiis editus, multa scripturæ loca satis feliciter interpretatus est. *S. Maximus confessor*, Theologus & Philosophus insignis, multa ad Theologiam asceticam utilia tradens, Parisiis anno 1676. a Fr. Combefisio editus prostat, *S. Dionysii Areopagitæ Opera* cum Scholiis S. Maximi & Paraphrasi Pachymeræ, a Balth. Corderio cum interpretatione & notis illustrata, Antverpiæ anno 1633. prodierunt. De qvo eruditorum judicia pasim leguntur annotata. *Nemesii Philosophi & Episcopi de Natura hominis Liber egregius* cum annotationibus viri eruditissimi, Oxonii anno 1671. typis exscriptus prostat. *Nili Monachi opera Græce & Latine Romæ excusa sunt.* *Aeneæ Gazai Theophrastus*, a Barthio cum notis emissus apud nos prostat. *Agapetus Diaconus Francfurti & alibi cum notis variis impressus est.* *Johannes Scholasticus*, Presbyter Antiochenus Canones Græcos collegit.

Vid. Justelli *Canones Ecclesiæ Græcæ.*
Procopii Gazæi opera Parisiis Græce anno 1543. prodierunt. *Theodorus Anagnostes* inter Scriptores Byzantinos, qui Parisiis editi sunt, invenitur. *Theophylactus Simocatta* aut *Simocattus*, Græce & Latine Ingolstadii in quarto prodiit. *Chronicon Alexandrinum* Matthæus Raderus Græce & Latine publicavit; *Vocatur & Festi Siculi opus.* *Pbotii Bibliotheca* opus eruditioris variæ & raræ ab Höschelio primum, deinde ab Andrea Schotto Græce & Latine editum. *Theophylacti Episcopi Bulgariæ opera*, Parisiis & Londini Græce & Latine edita sunt. *Oecumenii Græci Patris commentaria in Acta Apostolorum, Epistolas Paulinas & Catholicas omnes*, cum *Arethæ Cæsareæ Cappadociæ Episcopi Explanatiōibus* in Apocalypsin, Fed. Morellus Parisiis anno 1630. publicavit. Hi sunt celebriores inter Græcos Patres. Omnes enim, quorum monumenta vel

vel fragmenta collecta prostant, re-
censere hic, nostri instituti ratio pro-
hibet.

§. 4.

Possunt his etiam addi Catæ Græ-
corum Patrum, qvi in libros qvosdam
Biblicos commentarios scripserunt:
ut in Lucam, Balthas. Corderii ex offi-
cina Plantiniana Antverp. 1628. item
in Johannem ejusdem Corderii opera,
ibidem 1630. in Jobum, opera Patricij
Junii, Londini 1637. &c. Usum et-
iam tam Ecclesiasticæ qvam antiquita-
tis cultoribus, præstare possunt Juris
Græco - Romani tam Canonici
qvam civilis, tomî duo, a Johanne
Leunclavio Francofurti anno 1596.
publicati.

§. 5.

Extant qvoqve LX. libri βασιλικῶν,
i. e. universi Juris Romani, auctoritate
Principum Rom. in Græcam lingvam
traducti: Ex qvibus Eclogam seu Syn-
opsis *Johannes Leunclavius* fecit, &

K 4

Basi-

Basileæ anno 1575. edidit. Sed integrum opus *βασιλικῶν Carolus Annibal Fabrottus* cum versione Latina divul-
gavit; qvod jurisprudentiæ cultori-
bus, sed Græce doctis, commenda-
mus.

* * *

Et hos, ex Græcis scriptoribus,
jam recensuisse sufficiat.

CAP. VI. De Studio Oratorio.

S. I.

ELoquentiæ studium et si vulgo in Scholis trivialibus tractari solet; paucos tamen in illis adolescentes invenias, qui isti excolendo sunt idonei. Requirit enim animum multa lectione imbutum & varia rerum notitia instru-
ctum. Qvod Cicero suo exemplō *in Bruto* confirmat, referens, se, paullo ante, quam primam causam publice diceret, tum plane adulterum, cum dies ac noctes in omni doctrinarum meditati-
one

one versaretur, Stoico Diodoro de-
disse operam, a quo cum aliis in rebus,
tum studiosissime in Dialectica exerci-
tum fuisse. Confer *Richerii Icon. Anim.*
c. V.

§. 2.

Et notum est, doctrinas, quibus or-
atorem instructum esse oportet, in
paucis Scholis, quo decet modo, tradi
posse. Esto enim, in cætu Scholastico
tres quatuorve esse, qui ea eruditio-
ne ac iudicio pollent, quibus orationi-
bus componendis opus est; præcepto-
res tamen, qui omnes simul in hac ar-
te erudire laborant, his solis, qui ido-
nei sunt, vacare nequeunt; nisi forte
privata id opera fiat. Si autem Latini
& Graeci sermonis facultatem in Scho-
lis ante sibi compararunt adolescentes,
in Academiis, ubi universæ artes & sci-
entiæ traduntur, etiam hanc artem ex-
colere, pro vita & fortunæ conditio-
ne, debent.

K. 5

§. 3.

§. 3.

Sed quæstio hic movetur, an inge-
nio magis & exercitatione; an vero
præceptis oratoriis comparetur elo-
quentia? *Sextus Philosophus libr. II.*
adversus discipl. quæ ante Philosophiam
discuntur, prius quæstionis membrum
confirmare nititur; tum eo, quod mul-
ti, qui nunquam didicere Rhetoricen,
Oratoria facultate præstiterunt; quo-
modo inter alios, Demadem ex remi-
ge repente oratorem factum, ait: tum
item, quod plurimi, qui omnia artis
præcepta didicerant, cum ad forum ac
judicia ventum esset, plane fuerunt ine-
pti ac elingves. Hanc Sexti opinio-
nem, tanquam *νυξίας δόξας* seqvitur
Rolandus Maresius libr. II. Epist. Philo-
log. Epist. LI. ita enim scribit ad J. Ba-
ptistam Persium Moncampionum: *cum*
nuper Demosthenis Olynthiacis oratio-
nes legerem, verum esse comperi, quod
Quintilianus scripsit, pectus esse, quod
disertum facit, & vim mentis. Ille e-
nim

DE STUDIO ORATORIO. 227

nim oratorum omnium longe princeps,
ac pene lex orandi ab eodem Quintilia-
no dictus, tamen in illis orationibus non
multam artem adhibuisse videtur: in
qvibus tantum summa prudentia homi-
nis πολιτεία ubique erit. Nihil in-
solens aut ineptum, sed omnia sana &
sincera, (qve Atticorum est virtus preci-
pua, ut ait Cicero) & ex ingenio, ac ju-
dicio magis, quam ex arte oratoria pro-
venientia. Nam de sermone nihil dico,
quod est solum, & quasi fundamentum
eloquentiae, qui in eo est vere Atticus, &
ita elaboratus, ut singulorum verborum
pondere dictus sit examinare. Quod
vero non arte & scientia, sed longe ma-
gis facultate & meditatione eloquentia
contineatur, summi etiam oratores in ea
sententia fuerunt, Lysias & Aeschines,
qui cum Rhodiis exularet rogatus a Rho-
diis, ut eos artem dicendi doceret, nega-
vit se eam scire. Antonius etiam inter
oratores Romanos precipuus, nullum esse
artificium dicendi, passim apud Cicero-

K 6

nem

nem in libris de Oratore affirmat; præsertim cum nemo artis scriptor, ne mediocriter quidem disertus fuerit, eloquentissimi autem innumenabiles extirrint, qui nec ista didicissent, nec scire curassent. Paucis interjectis pergit: Itaque ut quis disertus evadat, non multum, meo judicio, in ipsis Rhetoricae præceptis, quæ sunt infinita, se torquebit. Sed cum erit communis illa eruditione imbutus, quæ in artibus ingenuis consistit, & Philosophiam præcipue moralem attigerit, quas Socratis chartas appellat Horatius, tum demum freqenter se in dicendo & scribendo exerceat. Exercitatio enim, quod potentissimum descendens genus vocat Quintilianus, sine multis præceptis aliquem eloquentiae usum affectet ei, modo indebet habeat, & naturam ad eam idoneam, quæ præcipue hic multum valet. Judicium etiam, quod idem Horatius recte scribendi principium & fontem esse dixit, non parum corroboret. Sed magno cum judicio prisorum om-

oratorum libri sunt evolvendi, & praecepit Philosophorum commentarii legendi. Prædictus enim Cicero fatetur, se oratorem, si modo sit, aut quicunque sit, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academice spatiis extitisse, &c.

§. 4.

Verum enim vero, ut ut quibusdam natura copiam facultatemque dicendi largita est; tamen ea vis non omnibus, qui verba ad populum facere aliquando debent, concessa est. Deinde ars vel præcepta oratoria juvant naturam, magisque reddunt disertum ingenio jam facundo præditum, dum altera alterius opem poscit. Qvod Isocrates olim contra Sophistas jam observavit: αἱ μὲν δυνάμεις καὶ τῶν λόγων, καὶ τῶν ἄλλων ἔργων ἀπάντων ēν τοῖς ἐν Φυέσι ἐγίνονται, καὶ τοῖς περὶ τὰς ἐμπειρίας γεγυμνασμένοις. Η δὲ παιδεύσις τὰς μὲν τοιχτὰς τεχνικατέρες καὶ περὶ τὸ ζῆν ἐν πορωτεύεσσι ἐποίησεν. Nam præstantia & orationis, & rerum

K 7 alia-

aliarum omnium, in natura quadam
vi consistit, etiam in iis, qui circa experi-
entiam versati sunt. Doctrina autem
institutio eos artificiosores & ad viven-
dum feliores reddidit. Nempe præ-
cepta in quavis arte homines magis cer-
tos reddunt, ne impingant facile, juxta
senarium illum antiquum:

Διπλῶν βλέποντες μαθόντες γερματά.

*Qui literas didicere, bis tanto vi-
dent.*

In eo tamen facile consenserim Mares-
sio, non multis præceptis defatiganda
esse ingenia, sed usum statim & exerci-
tationem accedere debere. Nam juxta
Ovid. l. 2. de Arte:

*Solus & artifices, qui facit, usus
adest.*

Vbi προγυμνάσματα, seu dicendi pri-
mordia vel elementa adolescentibus, Fa-
bius l. 1. c. 9. rectissime commendat. De
his è veteribus, Theo & Aphthonius scri-
psere; & junioribus Joach. Camera-
rius

rius, Petrus Nunneſius, Micraelius, & alii, qvi in Scholis trivialibus tractari debent.

§. 5.

Dato autem, aliquam artis culturam in hoc studio reqviri, ulterius inquirendum venit; an veterum, h.e. Græcorum & Romanorum oratoria, nostris moribus & vitæ satis apta sit? Qvod ego qvidem simpliciter non affirmarim. Nam status populi Christiani, cuius major pars sub principiis vivit, qvorum sub imperio non iſ usus eloquentiæ, qvi olim apud Græcos & Romanos fuit. Hinc Rolandus Maresius existimat, ex tribus cauſarum generibus, qvæ vulgo a rhetoribus assignantur, ſolum restare demonstrativum, qvod nunc quidem uſum aliquem habeat. *Quantum enim (ait) ad delibentivum attinet, in regnis, ubi omnia ex unius arbitrio pendent, princeps, si quid in deliberationem veniat, proceros suos, aut consiliarios sententiam rogat,*

rogat, quam breviter, & sine ornatu unusquisque dicit: & in illis magis prudentiam, quam facultatem dicendi reqvirit. Quantum ad judiciale; cum criminum capitalium accusationes & defensiones, in quibus olim eloquentia maxime vires exerebat suas, nunc per advocates non peragantur, & in civilibus controversiis affectus movere composta oratione, longoqve proœmio, aut peroratione uti non concedatur, minimum quoqveloci huic generi relinqvitur. Solum igitur (pergit) ἐπιδεικνύον, sic dictum ab ostentatione, quod etiamnum aliquando usurpetur in panegyricis, qui ex variis occasionibus dicantur ut legationis, inaugurationis, aut diei sancto aliqui consecrati causa, cum martyris generosi, aut più doctique antistitis memoria in Ecclesia celebratur: quibus locis eloquentiae vela laxare licet. Hæc Maresius Epist. Philolog. l. II. Ep. 46.

§. 6.

Enimvero, ut ut genus dicendi de-libe-

liberativum & judiciale, non per omnia, ad nostros mores ac vitam quadrat; tamen locum utriqve adhuc esse, ideo negare nolim, qvod principum ministri, ut cancellarii & legati, saepius hoc aut illud negotium svaldere aut dissvaldere jubeantur. Qvod si artem discendi non ignorant, multo felicius praestabunt, quam si illius sint rudes. Et quoties accidit, ut legatos reum aliquem defendere oporteat? Qvod absque arte in genere judiciali ostensa commode fieri nequit. Qvis etiam neget? in foro etiamnum aliquem patere eloquentiae campum; et si inter rambulas pauci sint, qui hunc ingrediantur. Itaque veterum oratoriam non repudiandam, sed moribus nostris magis adaptandam svalserim. Id qvod *Christoph Schraderus* in Academia Julia Eloquentiae non ita pridem professor clarissimus, in *Hypothes. Orator. e. Joh. Sleidani historia desumptis*, molitus est. Sed cum hunc modum, sine regulis nostris

stræ vitæ generibus accommodatis, non
æque facile juvenes addiscere queant,
utilissimam hac in parte operam insum-
sit clarissimus, & a multis annis mihi
amicissimus vir, Christianus Weisius, qui
ante tres annos *Institutiones Oratorias*,
ad praxin hodierni seculi accommoda-
tus publicavit. Qvibus, studiosæ ju-
ventuti, viam ad eloquentiam Schola-
sticam, Politicam & Ecclesiasticam
præivit. Iis jungi possunt Vossii insti-
tut. Rhetor. & Nicolai Caussini libri
de Eloqventia Saera & Profana. Qvia
vero in Germania, extra Scholas, raro
latinæ orationes haberi solent; adpa-
ret, præcepta jam laudata eloquentiæ
Germanicæ parandæ adhiberi etiam de-
bere, confer hic laudati modo Weisi
Politischen Redner.

§. 7.

Maximus in vita jam oratoria
ecclesiastica esse videtur, cui ut cum
Weiso nostro loqvamur, dimidia stu-
diosorum pars, suam addicere operam
solet.

solet. Hanc aliqui paucis, aliqui pluribus includunt præceptis, qvæ hic re-censere nostri instituti non est. Id tamen qvivis sanæ mentis admiserit, per-verso multos impetu rapi ad hoc studiu-m, cum nulla eruditione theologica ante fuerint imbuti. Qvod cacoëthes nuper venerandus sacer meus, D. Spene-rus, in *Prolegomenis Tabb. Hodosoph.* Dannhaw. rectissime inter impedimen-ta studii theologici retulit. Nam, fi-qvis in doctrina Christiana ex sacris li-teris bene eruditus fuit, judicioqve lo-gico pollet, prolixis oratoriæ artis præ-ceptis opus non habet; etsi plane ejus expertem esse non decet. Judice enim doctissimo Rolando Maresio, e suggesta sacro conciones magis sermonis simplici-tas cum vita dignitate & probitate con-juncta, qvam Oratoria facultas commen-dat, & ad persuadendum efficaces red-dit: nec meo judicio quidqvam putidi-us esse potest, qvam de rebus sacris de-clamatorio more differere. v. Maresi. l. i.
Epist.

236. CAP. VI. DE STVD. ORAT.

Epist. Phil. Ep. XI. In aliis quidem (iterum Maresii verba ex Epist. XLVI. libr. II. recito) sacrī concionibus, in quibū sublimia nostrā religionis mysteria declarantur, aut populus a vitiis deterretur & ad sanctitatem morum sectandam accenditur, nescio quomodo subputidum videtur, & minus convenientis, eloquentiam affectare: cum in iis simplex & facilis Oratio, modo sit gravis, cum integritate concionantis conjuncta, magis ad animos hominum commovendos valeat, quam ulla ars aut facultas dicendi. Unde etiam apud Gr̄ecos ὥμιλιῶν nomen retinent, quod sint quasi familiares cum populo collocutiones. Atque ita etiam B. Lutherum, & alios pios doctores sensisse, variis, si opus foret, testimoniis comprobari posset.

CAP.

CAP. VII.
De Philologia Sacra.

§. I.

Disseruimus jam pro scopo nostro
de Philologia profana: nunc ad
sacram progrediemur, qvam a *profana*
sejungimus, tum ob lingvas & res, qvas
tractat, sacras, tum ob usum, quem in
sacra theologia præstat.

§. 2.

Partes hujus *tres* constitui possunt:
PRIMA, lingvarum, qvibus sacer co-
dex exaratus est, item idiotismorum
lingvæ Hebraicæ & Græcæ notitiam
complectitur: SECVNDA, historiam
divisionis & partium sacri codicis, inte-
gritatis fontium Hebræorum, inter-
pretationis, ac versionum ejus in alias
lingvas, variantium in his lectionum,
Cabbalæ & similiūm, qvæ in doctis
commentariis sacræ scripture passim
annotari solent, continet: TERTIA,
historiam rituum & ceremoniarum,
qvarum

qvarum vel in sacris literis mentio, vel
ad illas fit allusio, tractat.

§. 3.

Qvod lingvas primum attinet *sacras*,
duæ sunt præcipuæ, ante alias philolo-
giæ hujus & sacræ Theologiæ cultori,
cognitu necessariæ; *Hebræam* puta &
Græcam, qvibus V. & N. Testamentum
exaratum est. Ad *Hebræam* aliqui re-
ferunt *Chaldeam*, qvippe dialecto tan-
tum ab illa differentem, & qva etiam
capita qvædam in *Daniele* & *Esra* exa-
rata sunt. Ad stylum *Hebraicum* in-
telligendum, post proprietatem dictio-
num ex lexicis petitam, *D. Salom. Glas-*
phiologia Sacra adprime inservit.
His subjungunt aliqui *Syriacam*, *Ara-*
bicam, *Samaritanam* & alias orienta-
les, qvæ ob paraphrases & versiones
Bibliorum πολυγλώτων, & Rabbino-
rum lectionem utiles censentur. Sed
illæ parem cum *Hebræa* necessitatem
non habent. *Græca* tamen lingvæ peritia
omnino opus est, partim ad LXXvira-
lem

lem V. Testamenti interpretationem, partim ad N. Testamenti stylum, qvi a profana Græcitatis indole in multis differt, rectius intelligendum. v. B. Gerhardi Method. Stud. Theolog. c. 2. 3. 4. Thome Gatakeri Dissertat. de N. Testam. Stylo, qva Sebast. Pfocheni de Lingvæ Græc. N. Testamenti Puritate sententiā examinat: Dan. Heinsii Sacr. Exercit. in N. Testam. Jo. Croii Sacr. & Histor. observ. in N. Fædus, Salmasii de Hellenistica commentar. Jo. Vorstii Philolog. sacr. & alios.

§. 4.

In lingvæ Hebraicæ studio, si quis supra vulgus proficere gestit, adjungi debet Chaldaicum, Rabbinicum, Masorethicum, & Talmudicum: qvanqvam hoc sit paucorum, & non nisi memoria & ingenio valentium singulari.

§. 5.

Chaldaicum, non tantum ad Danielis & Esræ lectionem, sed maxime ad Tar-

Targumim sive paraphrases Chaldaicas intelligendas necessarium est. Quatuor auctores præcipui sunt Onkelos & Jonathan: qvorum ille qvinqe libros Mosis; hic Prophetas interpretatus est: Onkeli Paraphrasin Chaldaicam *Paulus Fagius* Latine vertit atque annotationibus illustravit. *Johannes Mercerus, Professor Regius*, Lutetiis duodecim Prophetas minores chaldaice, cum versione Latina & notis, Parisiis anno 1557. publicavit. vid. *Hottingeri Thesaur. Philolog. libr. 1. c. 3. sect. i.*

§. 6.

Studium Rabbinicum, non nisi fundamentis in Hebraica & Chaldæa lingua bene jactis, inchoandum, ac non sine præceptore perito tractandum est, qvi commentatores Biblicos præcipue interpretari norit. conf. *Buxtorfi Bibliothec. Rabb.*

§. 7.

Inde ad *studium Masorethicum* progre-

grediendum, ut quid Hebræorum critica in versibus, vocibus & literis sacri codicis numerandis, & varietate ejus notanda, præstiterit, sciatur. Hanc Jo. Buxtorfius in *Tiberiade*, sive commentario Masorethico triplici, historico, didacticō, & Critico, & Brianus Waltonus in *Prolegom. Bibl. Polygl. c. VIII.* exposuerunt. Cui concordan-
tiæ Hebraicæ ejusdem Buxtorffii jun-
gendæ sunt, ut loca scripturæ in Maso-
ra sine libri mentione, adducta, inve-
niri queant.

§. 8.

Studium Talmudicum, quod diffici-
lius est, ultimo loco tractari debet.
Quid in eo contineatur, J. Buxtorfius
in *tractatu de abbreviaturis Hebraicis*
exponit. Illud vero duplex esse, con-
stat; Hierosolymitanum & Babylo-
nicum: illud collegit R. Jochanan an-
no Chr. 230, quod Cracoviæ excusum
est: Hoc (Babylonicum) a diversis
Rabbinis compilatum anno Chr. 500.

L

abso-

absolutum est. Utique intelligendo Lexicon Chaldaico - Talmudico- Rabbinicum Buxtorfi inservit. Confer Casp. Scioppii Diatribam de compendiosa & facilis lingvam Hebream & Chaldaam condiscendi ratione.

§. 9.

ALTERAM Philologiae sacrae partem diximus supra §. 2. consistere in historia divisionis & partium codicis sacri, integritatis fontium, versionum &c. De his agunt Hottingerus in Thesauro Philolog. Glassius in Philolog. sacr. Mayerus de Partitione s. cod. Petr. Dan. Huetius de interpretatione libr. 2. & multi alii, qui ab his laudantur. Inter nostrates Theologos B. D. Calovius in Critico sacro Biblico, &, qui adhuc Ecclesiæ Evang. bono vivit, venerandus D. Kortoltus de variis Scripturæ s. Editionibus, tractatu Kiloni edito. His addi mereatur Briani Waltoni Apparatus Philolog. Bibliis Polyglottis tom. I. præmissus, lectuque omnino dignissimus. Cabalam

balam Reuchlinus primum, post eum
multi alii exposuerunt. v. Hottingeri
Thesaur. Philolog. l. i. c. 3. sect. 5.

§. 10.

TERTIA pars seqvitur, qvam do-
ctrinam rituum & ceremoniarum apud
Hebræos in primis usitatarum, comple-
cti affirmavimus. Huc pertinent scri-
ptores, qvi vel commentarios eruditos
in sacrum codicem adornarunt, in Po-
li Synopsi Biblior. Critic. allegati; vel
res Hebræorum ecclesiasticas & civiles
tradiderunt: ut Buxtorfius in *Synago-
ga Judaica*, Geierus de *luctu Ebræorum*,
*Carolus Sigonius de Republ. Hebr. Corne-
lius Bertramus de Politia judaica*, Petr.
Cunæus de Republ. Hebræorum, Petrus
Galatinus de Arcanis Cathol. veritatis,
qvæ ex libro Martini Raymundi, qvam
vocat, *Pugione fidei*, desumpta sunt,
Schickardus de jur. Regio, cum celeber-
rimi nostri D. Carpzovii Annotat.
Seldenus de Dis Syris, de *Synedriis*, de
jure N. & G. juxta disciplinam Ebræo-

L 2 rum,

rum, Dietericus in *Annotat. Bibl. Spen-*
serus de LL. Ebræorum Ritualibus, &
 plures alii recentes scriptores passim
 obvii.

SECTIO VI.

De altiorum, qvæ dicun-
 tur, Facultatum Studiis.

CAP. I.

De Præparatione ad Stu-
 dium Medicum.

§. 1.

PEnitiorem Physicæ & Mathesos
 cognitionem, ad studium hocce
 felicius excolendum & absolvendum,
 reqviri, ex iis, qvæ supra de illis discipli-
 nis differuimus, constare potest.

§. 2.

Deinde cum principes medicorum
 Hippocrates & Galenus Græce scripse-
 rint, & vocabula artis medicæ, qvibus
 vel morbos, vel medicamenta, vel res
 etiam unde illa præparantur, designari
 solent, pleraqve Græcæ sint originis;

ad-

adparet, Medicinæ cultores Græcæ
lingvæ peritia carere haut posse.v.
Joach. Camerarii commentar. Græc. de
Partibus hum. corp.

S. 3.

De ipso autem studio Medicinæ be-
ne instituendo, artis hujus periti do-
ctores consulendi sunt. Johannes
Heurnius, vir doctissimus, eruditam de-
eo dissertationem edidit: in qua primo
doçet, qvibus præceptoribus utendum
ad medicinam, & qvibus auctoribus in-
cumbendum: secundo, ostendit, qvæ
ratione cum certa utilitate dicti jam au-
tores sint legendi. Cum vero post
Heurnii obitum, multa in hac arte, per
curiosos naturæ indagatores, multa-
que experientia instructos medicos, hoc
in primis seculo, fuerint detecta, o-
mnino recentes hic doctores consuli
interest. Interim laudata modo differ-
atio Heurnii, de studio Medicinæ bene in-
stituendo, heic legi meretur, in duas se-
ctiones divisa.

L 3

I. Qvi-

I.

Qvibus præceptoribus utendum ad medicinam, & qvi-
bus auctoribus incumbe-
dum.

VT recte fermentur studia, doctum contubernium plurimum valet: optimique viri illud Reipublicæ debent, ut sua confuetudine juvenum animos re-
ete ad artes effingant. Propterea Her-
cules præclaris splendens virtutibus
(χαλκιδέδι) ob animi fortitudinem
dictus) diligentiam in educatione Hylæ
summam adhibuit: qvi tamen patre
Theodamante paupere, δευτόμῳ natus
fertur, Plato, Aristoteles & Plutarchus
sæpe accinunt: Εὐθλῶν μὲν γὰρ ἀπ’
εὐθλᾶ μαθήσεαι, ἦν δὲ πανοῖσι ξυμφί-
γης, απολεῖς ηγῆ τὸν ἔοντα νόον. A bonis
qvidem bona disces; si vero malis con-
versare, pristinam quoque mentem per-
des. Præceptores non adscriptitia qua-
dam benevolentia, sed ex ungribus ament
disci-

discipulos: & ut coloni sepes arbustulis circumponunt, ita præceptores curā habent, ut rectissima eruditionis germina pullulent. Hos juvenes sāpe accedant; nam sodalitum ad benevolentiam & amorem excitat. Pelen Achilli Phœnicem junxerat, ut & dicendi & agendi ductor foret atque magister, ut canit Homerus. Horum imitatione præceptores eligatis medicina peritos, & benevolos, ac tales, qui ad amicitiam proni sunt, & ante omnia doctos: nam difficilis hac ars. Ita Apollo (ut cecinit Pindarus) voluit a Chirone singulari doctrina splendente filium suum Aesculapium doceri, ubi ait:

Καὶ ἡδὲ μίὰν Μάγνην Φέρων
Πόρεν Κενταύρον, διδάξας
Πολυπάθους αὐτῷ
Θρώποισιν ἵαθαι νόσους.

Illum Magnesio adducens commisit Centauro, ad docendum multinocuos hominibus sanare morbos. Cum electi fuerint, eos sequere; ac citra pertinaciam

iam, concertationes cum illis movere, ut
 tuis rationibus in re dubia, cum illorū
 judiciis collatis, quantum avero absit in-
 telligas, & memorie altius hoc modo rem
 immittas. Hinc veteres Palladēm, non
 sine opera operosi Dei Vulcāni (cujus e-
 tiam organa avtō ματ̄g in opus) ex ce-
 rebro Jovis armatam prodiisse singunt:
 oculis torve unum in scopum colliman-
 tem: quod concertatione artes optime in-
 sculpantur ac retineantur. Non mo-
 veant graves q̄stiones, anteqvam to-
 tam medicinæ formam animo complexi
 fuerint: alioquin hippocentauros profe-
 rent, ac inaniter ut implumes ciconiæ sub-
 fultantes, alas vibrabunt: legant & rele-
 gant primum medicinæ auctō: es: ce-
 dant libenter rationibus: non solum enim
 vincere, sed etiam vinciscire pulchrum
 eis, in q̄ibus victoria detrimentum ad-
 fert. Vinci non vis? pulcherrimum est in-
 ter differendum a nulla vinci pertinacia
 aut iracundia. Domi libris opus est, non
 ut illos possideas, sed ut exercitatio & usus

iii

in illis sit. Sed quibus? Quemadmodum
 ἡγεμόνι, cum imaginem ab imagine
 pingunt, identidem exemplaria spectan-
 tes, illorum characteres ad suum Φιλο-
 τέχνημα transferre student; sic, qvis se stu-
 det omnibus doctrinæ partibus excolare,
 conari debet, ut quasi ad simulacra eru-
 ditionis (hominum doctissimorum scripta
 dico) suum studium convertat, & quod
 in illis præclarum est, proprium sibi red-
 dat per imitationem. Quapropter in
 medicina, non usque deque cuncti auto-
 res sunt eligendi, sed probatissimi, & qui
 ongis seculorum etatibus interire non
 potuere. Nullus pictor non malit Ap-
 pells, aut Parrhasii Zeuxisve vel Leu-
 cippi exemplar, quam quid hujus ævi
 ἀγαραιoidai eis ἐτέξετε γλυ-
 κερωτεραι ei cū cœderet. Est enim tem-
 pus probatae doctrinæ index; cuncto-
 rum quævana nec magni sunt momenti,
 vastator. Plurimi hoc ævo magna auto-
 ritate scribunt; verum tempus judicium
 feret, num quid perpetuitate dignum ge-

L 5

rant:

rant: profecto inter mille scriptores vix unus seculum agnoscit. Sint itaque vestri auctores doctorum manibus triti, & eorum applausu probati: ni enim probi fuissent, jam diu manibus excusci contabuissent. Veteres sane dexterius de rebus judicarunt; quam nos autem ἀπόγονοι extrema fæx & amurea mundi, ut a Platone in Philæbo dicitur. Verum dixit Basilius πᾶν ἀρχαιότητι δια-Φέρεγγοι αἰδέσιμον, quod vetustate excellit, honore majori dignum est. Si enim neotericis quisflare vellet, cum infiniti fere sint, & cuncti ex Hippocrate & Galeno hauriant, illud incommodè illi eveniet, quod gregarii illæ infinitum tempus postulant, cum interim duos has brevi tempore perlege-re posse. Cumque vetustatem illam cæteri non trahant cinctam auctoritate, eo loco semper stabit hinc hausta doctrina, unde facile dimoveri posse. Longa temporum series plurimos celebres Gracos: quosdam Latinos, nonnullos

los Arabes. Græci medicinam pepere-
runt, diviteque suppellectile locupleta-
runt, ac splendido ornatu nostræ artis
famam toto terrarum orbe fuderunt.

Quare nusquam minus violatam hanc
reperiemus, quam apud suos parentes:
hic patrima & matrima. Hanc ita-
que ex materno gremio pudicam vir-
ginem vobis proferet divinus senex Hip-
pocrates, & ejus enarrator. Galenus:
Hippocrates verus medendi dictator ha-
bitus semper, hujus scripta tanquam ora-
cula, & non humanae linguae verba, tota
amplectitur antiquitas, tanquam ducem
& auctorem omnium disciplinarum,
qui, ut ait Celsus, vir fuit arte & facun-
dia clarus: quique, ut scribit Macrobi-
us, tam fallere, quam fallinefecit. In
hoc, verborum pressa proprietas sen-
tentiarum concisa subtilitas, sermonis
veneranda antiquitas, artificii com-
mendabilis dignitas: in cuius, scri-
ptis nihil superfluum, otiosum ni-
hil; sed arguta brevitate rotunda o-

L 6 mris,

mnia, & significantia. Ita ut ubertas
 & amplitudo rerum verborum nume-
 rum longe vincat. Haec genuina &
 propria sunt Hippocrati, cuius tanta
 fuit benignitas, ut nihil sciverit quod
 nos nescire voluerit: tanta autem sol-
 lertia & sapientia, ut nemo post eum
 sciverit, quod ipse ignoraverit. In eo
 enim cuncta medicina semina animad-
 vertas; quae tamen in facienda medici-
 na melius, quam ex commentariis ad eum
 scriptis animadvertes. Hujus enarma-
 tor fidissimus est Galenus; quem scribitur
 a quibusdam vixisse annos centum &
 quadraginta. Hic cunctis Philosophis
 & Philologis utilis. Loquitur ubique
 puro, eleganti, simplici, & nunquam
 affectato sermone, non sine magna vo-
 cum & sententiarum suppellecstile: adeo,
 ut nulla satietate lectorem offendat;
 sed ubique progreendi cupidum rhe-
 torico artificio demulcat, homo ad elo-
 quentiam factus. In hoc praecepta
 que-

quædam philosophica rara & eximia,
magisq[ue] illustria, quam apud ullum al-
lum scriptorem invenias. Nihil obtru-
dit lectori, quod non firmis rationibus
demonstret, ac ejus contrarium refutet.
Quin moralia habet per pulchra, affecti-
bus moderandis. Ambitionem & ava-
ritiam præcipue insecat, & de qualis-
bet re docte & eleganter differit. Nul-
lis non ad ingenii cultum ejus lectio utilis.
Sunt alii, minoris gentis, Aretæus, Aëtius;
Paulus Trallianus, Oribasius, Cassius;
Dioscorides de materia medica, & ejus
Europista, & ex recentioribus Actuarius,
Damascenus, Theophilus de urinis,
Philaretus de pulsibus, Simeon Sethi,
Nonus. Animi causa inspicias etiam
interdum Geponicos, & Hippiatros.
Geponica scripsit Dionysius Cassius Grae-
ce; Latine vero Cato, Columella, Palladius,
Constantinus. Sextus scripsit
medicinas ex animalibus. Latinos in-
ter medicos primus est Cornelius Cel-
sus; sed prudenter legendus; nam in

multis Asclepiadem methodicum sectatur, ut fatetur ipse. Hujus cote stylum subigemus, & pluris latinitatem ejus, quam medicinam faciemus. Plinius etiam perlustrandus, qui Græcam & Latium uno volumine conclusit. Accedat his Scribonius Largus, Q. Serenus, & Cælius Aurelianus. Sed hic cum magno judicio legendus: nam is scripta Sorani Ephesii Latina facit, qui methodicæ sectæ addictus fuit. Marcellus Empiricus politæ dictoris scriptor etiam inspiciatur. Et inter hos Theodorus Priscianus, cuius scripta Quinti Horatiani titulo circumferuntur. Scriptus ad Timotheum fratrem Phænomenon euporiston librum unum, cum Logico ejus, & Gynæciis. Apparet cum methodicæ sectæ studiosum fuisse. Extant etiam scripta de acutis & Chronicis, & de occultis physicis remedii. His adde Constantinum Aphrum. Inter Arabas præcipui sunt Avicenna, Rhazes,

Rhazes, Averrhoës, Avencoas, Mesue,
 Serapio, & Alzaharavius. Qui dele-
 etantur fusa & polydædala varietate re-
 mediorum, Avicennam amplectantur:
 cuncta enim hujus ævi remedia ex eo ma-
 nant. At Razes utilis illis, qui effica-
 cem & contractam medicinam amant.
 Hic centum annos medicinam fecit.
 Hunc Vesalius paraphrasi eleganter de-
 coravit. Hi utiles sunt, ex quibus ex-
 ceras remedia quædam Græcis olim
 ignota: nam scribendi illorum ratio,
 cum sine demonstratione fluctuet, a doctis
 improbatur. Quare his non inheren-
 dum. Unum ex hujus temporis scripto-
 ribus his addo doctissimum Fernelium:
 qui Arabum ductum non sine Græcorum
 demonstrationibus secutus fuit. Ejus
 lectionem laudo, modo cum jam dictis
 auctoribus conferatur, locaque anno-
 tentur, ex quibus suos rivulos traxe-
 rit: optima enim ex cunctis selegit,
 sed stare ejus auctoritati non potis
 est, nisi ubi firma demonstratio-

ne

ne sua stabilivit. Qvare in antiquos
suos fontes si refundi possit, sane limpi-
disimam firmamqve scientiam pareret.
Sed totus eo abduci negvit, ut qvi sponte
interdum declinat & abit. Quid
tunc agas? litem dirimet antiquorum
demonstratio, collata cum hujus ratio-
nibus, & usus: hoc si vicerint, excuti-
antur nova tanquam amentata hastae:
sin Fernelius quid melius, retineatur, &
gratiæ illi adscribantur, ut qvi pomæria
medica auxerit. Sed gravis hic est au-
tor, nec in prima medicinæ limine po-
nendus: sed a Galeno hoc potius uten-
dum. Qui tamen compendiosam me-
dicinam nimium amat, hunc legat
cum iudicio: is enim, ut verum fatear,
Græcam & Barbaram medicinam fere
uno in volumine conclusit, & propriis
locis philosophiam medicinæ intulit: ut
non sit necesse aliam physicam usibus
medicis quererere, cum ex latissimo na-
turæ ambitu secunde medicum cam-
pum rigarit. Hos sequuntur myriades

pra-

pragmaticorum intermediorum, & numerorum: qui volumina per singula hominis membra digesta fabricarunt, mira remediorum varietate. Inter hos medios, maxime excellit Arculanus, qui Razis nonum ad Almansorem, & Avicennæ ad librum de febribus commentatus est. In hoc remedia certa & efficacia. Aliis placet Gradius, qui pro Nicolai breviario est. Quidam consiliarii malunt (& non sine ratione) qualia Montagnana tunc edidit. Gattinaria nonnullis arridet; nam placida & usitata remedia suggérunt. Nonnulli Varignanam consulunt, quod euporista & usu comperta pharmaca adferant. Sunt qui Gvainerium ceteris his præferant. Quidam se addicunt Savanarolæ, quo adstantibus mulierculis satisfaciant. Sed nulli se mancipare præstat; verum quosdam ex his inspicere, cum inter medica versamur opera. Et qui unum pragmaticum perlustravit, aut mille, imo omnes legerit,

nam

nam unam tantum aut alteram indica-
tionem medendi prosequuntur cuncti,
ductam ac evocatam a causa morbifica,
& parte afficta: ceteras susque deinceps
habere videntur. Sine ceteris tamen
indicationibus cunctio rite non absolvitur:
nam nullus morbus omnium est
idem; nec ullum remedii genus eandem
rim habet in omnibus. Diversa enim
sunt morborum ideae: & iidem modo
dextri, modo sinistri judicii; concoctu
ac excretu difficiles, aut faciles. Et
quantum in hominibus temperierum di-
scrimen! quam varia partium tempe-
ries! modo prostrate jacent in eodem
morbo vires, & aëris aut flagrante Sole
torretur, vel algore riget: quin etatis
vis quid non remedii evertit aut perfert?
omitto jam consuetudinem, peculiarem
cujusque naturam, sexus discriminem,
vitæ genus in quo æger enutritus, morbo-
rum. Quare ut in tanto fluctuum ac
scriptorum remediorum Oceano por-
tum faciliter cursu collimarent medici, quæ
medi-

medicamenta prolixè profuderant præ-
gmatichi in tam numeroſa morborum tur-
ba, in unam methodum ad praxin rede-
gi; ut inde, accedente methodo meden-
di vera, uno veluti intuitu, maximare
mediorum varietas, per cunctos morbos
complecti posſit, & cuique propria ex
his pomariis methodo decerpere ut li-
ceat.

II.

Qua ratione cum certa uti-
litate dicti jam auctores ſint
legendi.

Non ſatis fuerit compertum habere,
quānam legendi ſint, ſed etiam quō
modo non citra utilitatem in iis verſan-
dum fit, explorandum. In omnium au-
torum lectione ſemper hæreat animo,
quod apud Platonem dicitur ἀγετὴ ἀ-
δέσποτος: ut nos hoc ad ἀληθειαν.
Monco itaque, ut ab eorum scriptis abſti-
neatis, qui ab antiquorum ſententia te-
mere

mere abeunt. Plato in Epinomide ple-
bejos qvosdam Deos cum referret, a vo
γιας 85 hos appellabat, nescio an eo no-
mine qvid aptius adaptari his inno-
vatoribus possit. Utinam ea mente
omnes scriberemus jam, qva olim Hip-
pocrates, & post eum Galenus! studio
nimirum juvandi. Nunc neque hoc
facimus plerique; & bene a veteribus
etiam extogitata & scripta demoliri, ac
rebus claris tenebras affunere conamur;
receptissimorumque auctorum auctori-
tatem elevamus, ut reponamus no-
stram, dubiam ac titubantem pro exi-
stimatissima. Si quis reclamet, illico
nos inter nos (qui conspirare contra ex-
ternos debeamus) domesticum bellum
depugnamus: ac χαλεποὶ πόλεμοι
ἀδελφῶν, funesta bella fraterna. No-
vus medicinæ mystæ in primis perlegat
Institutiones medicinæ. Ille enim
ideam qvandam totius medicinæ animo
immittent: & ex illis ordinem toti-
us studii medici, & subtegmen firmum,
cui

cui intexi omnium auctorum scripta pos-
sunt, perspiciet. Sunt enim Institu-
tiones medicæ nihil aliud, quam ex omni-
um scriptorum medicorum deliciis ac
medullis condita placenta: aut, ut me-
lius dicam, ex electissimis quibusque flos-
culis compositum mellificium. In lectio-
ne auctorum cum adsit, ut eorum per-
cipiatur sententia: dein, ut retineat-
ur. Percipietur sententia auctoris, si
perspectus fuerit ejus dicendi modus,
et peculiares significantesque ejus dictio-
nes si intellexeris. Maxime in Hippo-
cratis lectione ad hæc collineandum. Ult-
enim avaduoq[ue]svn illam nemo perficere
potuit, et obliteratos in ea colores ali-
quot deteriore purpurisso reconcinna-
runt; ita nullus eo acumine scribendi
medicinam ab Hippocrate productam
absolvere potuit. Est saneis, inter ho-
mines, maximus medicinae auctor: in
quo sparsa medicina totius semina anim-
advertis. Sed ex succo solo excerpta
hæc non germinant, vel tenuissime ena-
scun-

cuntur, aut non in frugem surgunt: animi sensa sua divina ob concisam brevitatem latitant, niverba ejus significantia & dicendi modus fuerit cognitus. Qvare (qvia hic immoriendum) Lexica comparanda erunt Erotiani & Galeni, Julii Pollucis, Rifi Ephesi, Suidæ, Hesychii, Gorrei; sed ante omnia Oeconomia Hippocratis Anutii Foësii. Auctorem quem evolvis, intenta mentis acie, non raptim (ne qvid fugiat) perleges. Si salebris difficilibus impliceris, ne hæreas, enarratores aut præceptores consule. Si nec explicitent hi, notandus locus, & pergendum, dum tempus & lectio emollient hanc difficultatem. Nec turpe quædam ignonire. Aut si moræ impatiens fueris, ad aliorum auctorum judicia hæc examina. Si idem cuncti, ratum sit: sin abeant in diversum, vide num in gratiam redire possint: vel illi qui potissima ratione utitur, subscribe. Indices loca auctorum dicent. Commentariographos prolixos fugite;

fugite; descendit enim libidinem extingunt: sed ubi involvimus difficultatum salebris, id solum agendum, ne nimis ingenium fatigetur, & tandem expugnetur. Galeno maxime utemur pro Hippocratis enarratore, quo ille recte intelligatur, utque memoriam exerceamus cum fœcunda quadam utilitate: nam rerum, quæ discuntur per causas, demonstratio apud eum luxuriat: quibus ad eruditionem nullus felicior campus aperiri potest, nam scire, est per causas cognoscere. His opibus illi fraudantur, qui apotelesmata solum amplectuntur: tenues semper eruditione, præinopia rerum ac argumentorum. Sed hæc omnia frustra, ni Musarum matrem memoriam, tanquam penuarie cellæ doctrinarum, inserantur. Sèpius itaque lectare repetantur: ac ut cibos mansos ac probe liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur: ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, ac velut confecta sepiusque per pensa, memoriæ tradatur.

tur. Sed an non naturæ, hoc est, summi Dei beneficium memoriae vis est? Fatoe, & cuncti a summo Numine ea afflatis sumus. Non æque? Cultu effingatur: consuecat exercitiis; hoc obli-
viosos memores reddet. Sit animus cæteris solutus curis, ac earum ideis va-
cuus: affectus sileant, qvi in suam fa-
ctionem totam mentem rapiunt, ita nul-
lam characterum impressionem renuet
mens. Et sâpe menti immissa ad phan-
tasiam revocentur, accum voluptate hæc
tunc memoriae redde: ita jucunde ejus
usu fruetur, ac latitia quædam se laxans,
simulacra rerum fidelius imbibet. Ad
memoriam stabiliendam, non nihil opus
pollicetur ipsa medicina & medici, ac
secundum hos Marsilius Ficinus. Ari-
stoteles libro de memoria, ostendit ob va-
rias causas illam labefactari; vel, qvia
species rerum non suscipiuntur; vel, qvia
non detinentur: utroqve enim opus est.
Propterea mollem & stabilem a Summo
Deo substantiam obtinuit cerebrum, ut
molli-

mollitie rerum characteres admitteret, ut eos stabilitate retineret. Inde est quod agunt, memoriam firmari calido & sicco temperamento: calor enim modestus mollit cerebri substantiam; & siccitas eam stabilem reddit. Nam ex madidœ fluxo que cerebro simulacra rerum effluunt, his querelis remediantur medicinæ. Sed inter cuncta confert perpetua vita sobrietas: nam crapula & ebrietas, ut ingenium hebetant, ita memoriam prossus eluunt. Officit etiam tumultuaria diversorum voluminum letio: ita in senibus multitudine rerum memoria exstinguitur. Præterea ordo in discendis rebus plurimum ad memoriam facit: imo Plato ordinem, memorie animam appellat. Quare in auctorum lectione, semper de ordinis filo, quod trahunt, solliciti stis: cuncta enim quæ ordinem habent, εὐμνηστέα sunt. Cune ad Galenum ventum est, ejus scripta pendentim, non saltuatim legantur: constant, non fastidiose: ordine, non trans-

M

sulto-

sultorio modo. In primis sese offert Galeni liber, inscriptus Exhortatio ad artes; dein quoque medicus philosophus, & de sectis ad novicios, de optima secta, de constitutione medicinæ. Tunc anatome, dein de venarum, arteriarum, nervorum, matricis sectione. Postea libri de usibus partium, de naturalibus facultatibus, de placitis Hippocratis & Platonis, quod animi mores corporis temperiem sequuntur, de affectibus animi castigandis; de sanguis in arteriis, de odoratus instrumentis, de motu muscularum, de causis respirationis, de semine, de foetuum formatione. De elementis, de temperamentis, de medicamentorum facultatibus, de optima corporis constitutio- ne, de optima habitudine, de inæquali intemperie: hi tres libelli ligantur inter secundum & tertium librum de temperamentis: καὶ γένεται τόπος: vel legat hos postremo. De antidotis, euporista: de purgantium vi, quos, & quando: de prisana; de Theriaca ad Pisa-

Pisonem & ad Pamphilianum: sed hos
doctissimus Julius Alexandrinus (qvem
hic seqvimur) adulterinos falseqve Ga-
leno adscriptos demonstravit. Deinceps sunt
libri de sanitatis natura, de morborum
differentiis, de morborum causis, de
symptomatum differentiis, deque horum
causis, de plenitudine, de tumoribus
præter naturam, de atrabile, de tremore
& palpitatione, de tabe, de locis affectis,
defebrium differentiis, de pulsibus, de
spirandi difficultate, de pulsuū usu,
de spirandi usu causisqve: de morbi
totius temporibus, de temporibus mor-
borum, de crisibus, de diebus judicia-
riis, de typis, de prænotione, de digno-
tione ex insomniis, qvomodo depre-
hendantur simulantes, se ægrotare. Ars
medica, de sanitate tueenda, methodus
medendi, de facultatibus alimentorum,
de cibis boni & mali succi, de attenu-
ante diæta, de parva pila, de curatione
per venæ sectionem, & contra Erasi-
stratum, de comitali pueri affectu, Glau-

M 2

conī

coniscripta ad Thrasybulum. Quantum ad commentaria Galeni ad Hippocratem. Signis adnumerari poterunt Prognostica & Prorrheta: Curationi vero, de virtus nitione acitorum, de articulis, de fracturis. Reliqvi ejus Commentarii ad Hippocratem, veluti suorum scriptorum epitome sunt. Pragmatici ceteri, quos ante recensui, nonnunquam tangendi, ubi jam Hippocraticis scriptis assuevisti, exacuendi palati gratia, cibi nimia bonitate langventis: sed id saltuatum & frustulatum. Ita nec totum perlegemus Paulum. Aetium, nec Trallianum, aut Oribasium vel Rasem, neque Mesuem, nec Haliabatem, Avenzoarem, vel Alsaharavium. Et ita cum ceteris agemus: nam eadem cuncta apud Graecos felicius invenias. Actuarius fere totus legi poterit; & Avicenna, si restitutus esset; & Averrois scripta medica, modo id fiat cum judicio. Sed dices, Arabes felici plenaque manu remedia jucunda ac facilia fundunt. Ita est:

est: sed et panca, quæ non apud Græcos. At esto! sint ab illis! instrumen-
ta aucta: sed non in cithara bene pulsan-
di ars est, quamvis sine ea non ludat ci-
tharœdus. Arabes ex Græcia colonias
duxere: sed frustra quæras apud hos,
quod non apud Hippocratem & ejus enar-
rаторем Galenum invenias. Laudo
suppelleūtem remediorū promtam pam-
tamque; & utinam ut Dædalo sua, &
Vulcano tripodes cæteraque animata o-
mnia, jussa adessent; vel potius perse i-
psa, quam primum sui opus effe scirent,
ad opus accurrerent, ac id (quod jam
Φλυαρία qvōrundam sibi persuadet)
conficerent ultro, quod nos cum delectu.
Delectu magis militum, quam innume-
ris copiis, & iis veteranis potius, quam
tyronibus ingentia bella conficiuntur:
Ita nos feligemus ex cunctis optima & u-
su firmata; his stabimus. Veteres illi
pictores nobilissimi, quatuor tantum co-
loribus tam eleganter pinxere. nec exclu-
dimus seram etatem, quæ coloribus

M 3

quid

qvid adjecit. Ita veterana remedia extollimus, non relegamus nova, quæ felicia in opus: quin pomæria agri medici libenter proferemus. Commoditas hinc fiet major: sed artem non variat instrumentum. Ars perpetuo possedit tantum roboris & venustatis, quantum satis cultui est. Hoc semper artis fuit, artis modum loco adhibuisse. Mutandorum remediorum nunquam meta erit: sed ni ars finem suum accipiat, desinet esse ars: nam perfecte facere promittit. Sed etiam habitum habet in intellectu, faciendarum cum ratione rerum. Hoc faciliter, attamen efficaci, remediorum copia instructa, tanquam Macedonica phalange, audacter cum morbis concurrit, tum quæ remedia nomina nondum dederunt usui, nec sacramento adhuc huic militiae sacra, excludis de cohorte; nisi præclaris editis facinoribus gloria splendeant, sumque genus certis notis aperuerint. Non alenda copia incers: paucitatē
ope-

operosæ præstat confidere. Sit tamen justus exercitus, & bene notus tibi, bencque instructus. Excute ergo lascivientem varietatem, tanquam inutilem & imbellem, copia, qvamtam usus capit, sufficerit. Contendet tu potius ad artis penetralia, ubi arcana rerum cognitio, ut his paucis & fortibus paratisque, κτ̄ harpgv loco & tempore utaris. Vetcrum cum tam multiplici rerum varietati memoria par esse nequeat, arte eam juvabimus; locosqve communes fabri- cabimur; qvibus, ut certis thecis, memoriæ egregie digna inferamus: ut cum opus fuerit, tanquam ex divite penu, illico promere has opes possitis. Age cum Lucretio, floriferis ut apes in saltibus omnia libant. Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta. Poterunt loci hac idea effungi: Acipiat paginæ frons qvæque trium locorum titulos, juxta postos. tergus vero folii nudum sit ab inscriptione, quo nova charta semper addi possit. Volumen hoc char-

M. 4

tace-

taceum contineat septem vel octo libros chartæ. Cunctæ itaque varietates his locis inferantur, & difficiles decisiones: nam perenni inscriptione memoria fir- mabitur; &, si quid exciderit, facilis via revocabitur, cum sit ad manus & in mente is locus, unde petas. Sed non cuncta, quæ legitis, locis importabitis, sed ea, quæ maxime memoratu digna, & raro obvia, de quibus videberis periclitari, ne tibi excidant. Et totarum historiarum capita tribus, ut ajunt, verbis tantum, cum numeris annotentur in locis, ut scias, a quo auctore, cum usus erit, repetas, & in ipso auctore, puncto nota te in locos retulisse, ut si postea locum petas, illi co adsit oculis; & ne iterum, si evolvatur denuo ate auditor, is locus inscribatur. Sed nonnunquam quædam ancipiti significatione sese offerunt, ut nescias, in locos si referas, unde recte repetas: propterea consulo, ut etiam Alphabetarii loci alii fuerint, quo, inde facilius quæ peti posse videntur,

eō reponantur. Sed priores etiam jam
dicti loci indice egent. Sed cautio ad-
sit, ne nimium his locis fidatis, indeqve
memoria inculta perdatur, non enim
satis est in scriptis rem habere, sed memo-
riæ una inscribi debet. Hac serie inscri-
ptiones vel tituli locorum ponи poterunt.
Deus remediorum, curationis, & sanatio-
nis auctor. Per quos homines usibus
humanis medicina illata fuerit, de aucto-
ribus medicis, & de medicina origine.
Clinice & Farmaleiptice; & quando
primum. Vicia medicina & medico-
rum. Sectæ medicæ: dogmatica, me-
thodica, empirica & Paracelsica; So-
phistica & sophistæ. Dignitas medici-
næ, laus ejus, & præmia medicorum.
Quales medici esse debeant corpore &
animo, ministri, finis medicinæ, obje-
ctum medicinæ ejus partes, officium me-
dici. De natura, qvæ ad medicinam
attinet, discrimin physici & medici, de
elementis. Quid elementum, & quo
modo differat a principio: ejus ma-

M S teria.

teria & forma. Quot elementa, ignis, aër, aqua, terra. Formales differentiae elementorum. Mixture elementorum ut sicut corpora formarum in mixture origo. Proprietates, & effectus elementorum. Qualitates ex elementis ortae. elementorum situs. Quid mixtio, & ejus causæ. in mixto elementorum substantia. An elementa in mixtis secundum suas formas, an secundum potentiam suam. Elementorum contemplatio quam utilitatem adferat medico. De temperamentis, & iis, quæ a temperamentis fiunt. Quid sit temperamentum. Quid differat a calido innato. Temperamentorum origo. Homo omnium animalium temperatissimus. Partium similarium & dissimilarij vis. Temperamentorum differentiae quot & quales: Ad pondus, & de Pulchritudine: ad justitiam. Signa tempermentorum. Partium singularum temperies. Calidum, frigidum, humidum, siccum, quot modis aliquid di-

catur. An calidum elementare in omni
vivente excedat. Etatum tempera-
menta & differentiae: infantia, puber-
tas, adolescentia, juventus, virilis ætas,
senium duplex. An juvenum & puer-
rum idem sit calor. Anni temporum
temperies, ver an temperatum, aestas,
hyems, autumnus. Regionum tempe-
ries. An sub æquatore temperatissi-
ma regio. Qualitates secundæ: Co-
lor quid, & ejus differentiae & causæ.
Odor, & ejus differentiae causæque. Sa-
por, insipidus, acidus, acerbus, au-
sterus, adstringens, dulcis, amarus, sal-
sus, acris. Tactiles qualitates: mol-
le, densum, grave. Utilitas quæ ex no-
titia temperamentorum. Cutis tem-
perata. Partes calidae, frigidae, humi-
dae, siccæ. De humoribus: quid humor,
quot, quales, primi, secundarii, ex-
crementitii, alimentarii: quomodo
& unde fiant: duo excrements humo-
rum: Sangvis: Pituita, dulcis, salsa,
acida, vitrea, gypsea, tenuis, crassa; si-

gna ejus. De bili, vitellina, porracea,
 eruginosa, glastea, flava. De melan-
 cholia, & ejus differentiis; signa atre-
 bilis. Usus humorum: fibræ sanguini-
 sis, copie morum, mutatio humorum.
 Ichor humorum; & signa cuiusvis. Mo-
 tus humorum. Utilitas doctrinæ humo-
 rum. De semine, & quid semen, utri-
 usque sexus semen. An semen ut opifex,
 an ut materia fætui serviat: semen mu-
 tieris. Causæ & origo seminis testium
 vis, sanguis menstruus quid, & ejus ori-
 go. Conceptio, instrumenta procrea-
 tionis, gestatio & motus fætus, membra-
 næ fætus: hepar num ante eor procree-
 tur: signa maris & fæmina: par-
 tus, superfætatio, fætus tempora, se-
 ptimesbris, &c. abortus, fætus mortuus.
 Similitudo filiorum cum parentibus,
 & physiognomica. Monstra, mola,
 androgyni: fæminarum in mares mu-
 tatio. Utilitas cognitionis seminis &
 materni sanguinis: sterilitatis cau-
 sa. Anatome: an unum tantum prin-
 ceps

ceps membrum: Cur seminales partes
sectæ non regignantur. Caput, cere-
brum, frons, partes caput vestientes,
partes in capite contentæ: partes acere-
bro ortæ, partes cerebro assistentes, ocu-
li: quomodo fiat visio: lacrymæ: au-
res, nares, os, musculi, ligamenta.
Thoracis costæ, sternon, musculi, mam-
mæ, lactis procreatio, diaphragma, tu-
nica costas cingens. Partes quæ in tho-
racē continentur, cor, &c. aspera arte-
ria, lingua, sermo ut fiat. Ventris in-
ferioris, umbilicus, & continentæ
partes: contentæ, ventriculus, &c. me-
senterium, hepar, fel, ien. Partes ab
hepate ortæ: partes serum attrahen-
tes & suscipientes, renes, vesica, &c.
Partes procreationi dicatae, testes, para-
stata, &c. uterus. Consensus uteri &
mammarum. De manus partibus &
structura, de crure, ossium structura.
Calidum innatum, & spiritus, quid sit,
& caufa ejus, effectus: præstantia;
quotuplex; mutatio ejus. Spir-
itus

tus qvid, & qvot: naturalis, vitalis: humidum primigenium. De animæ facultatibus: & earum actionibus: qvid anima, & qvot: qvid facultas animæ: procreatrix, nutrix, attractrix, reten-trix, excretrix; nutritio, auctio, coctio, famæ, excrementa. Sentientis animæ facultates, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, sensus communis, phantasia, cogitatio, memoria, motus, appetitus, vitalis vis. De sanitate tue-
da. Quid sanitas. signa temperierum totius: signa cerebri temperati, & intem-perati: pilorum causæ variorum: oculorum temperatorum varia signa: pul-monis temperaturæ notæ, hepatis, ven-triculi, testium. Aëris qualitas varia, regionum varietas, ventorum vis: anni tempora. Cibi boni vel mali, medi-camenta: si: victus puerarum, victus melancholicorum, &c. Quantitas cibi; modus utendi. Consvetudo: cœnandum an prandendum liberalius: occasio cibandi. Potus, aqua, vinum,
cere-

cerevisia: mulsa, qvantitas potus, ebrietas. Balnea, dulcia, thermarum, modus eorum, aëreum. Alvi dejectio, urina, sudor, vomitus, mensium & haemorrhoidum profluvium, venus. motus & qvies: frictiones. animi motus. Semina cerealia, triticum, siliqua &c. Panis & placentæ, pultes & potentæ, legumina, fructus, alimenta ex herbis. Quadrupes, lacrinia. Aves, pisces, succi, condimenta. Differentiae & causæ morborum, qvid moribus, genera morborum, intempries: manifesti, occulti, venenati, contagiosi: organici: solutio continui: primarii, per sympathiam simplices, compositi; acuti, longi, &c. Causæ morborum, agnata, antecedens, continens, externa. Fascinum, philtora, incantationes. Signa morborum; & qvid signum; pathognomonicum, epigenomenon, & epiphænomenon. In excrementis, actione lœsa, qvalitate mutata, doloris idea, situs. Differentiae & causæ

causæ symptomatum: quid symptomæ.
 In motu; tremor, rigor, horror, tussis,
 sternutamentum, oscitatio, pandicula-
 tio, palpitatio, ructus, singultus, vo-
 mitus, nausea: stridor dentium. Læ-
 sio actionis principis cerebri; ut phanta-
 sia, cogitationis, memoriae, vigiliae, so-
 mnus, naturalis facultatis, ut attractio
 &c. Qualitatis mutatae, visibilis, &c.
 dolor. Excrementorum symptomata,
 in substantia, qualitate, copia, tempo-
 re, & excernendi modo. Prognostica.
 Quid signum prognosticum. Signa
 cruditatis & coctionis. Signa mortis
 vel salutis, & quæ ad melius & deteri-
 us: signa quæ ad speciem & ad tempus
 crisis apparent. Tempus morbi: quid
 principium, augmentum, vigor, de-
 clinatio. Paroxysmis, periodus. Pro-
 gnoſces in urina, dejectione, fure, ex-
 pectorato, mensuris, vomitu, hemor-
 rhagia, pure. Crisis quid. crisis bo-
 na, mala, fida & quando futura. Die-
 rum decretiorum naturæ & cause, unde

certus

certus naturæ in his ordo. Luna causa
adjuvans. Qvi dies decretorii. dies
sextus: & singulorum dierum vires. Cri-
ses singulorum morborum. Septimana-
rum ratio. Abscessus. Dies & hora
mortis. Qvo affectu quisque peribit.
De pulsuum significatione, qvid pulsus:
Diastole, systole: duplex in pulsu qvies-
differentia pulsuum. De respiratione,
qvid sit, unde fiat: inspiratio, exspiratio,
usus ejus: differentiae variae. Urina
qvid significet, qvid sit: ut fiat urina
ejus colores, substantia, quantitas, con-
tentia urinarum, enærema, hyposta-
sis, spuma, pinguedo, innatantia cor-
pora &c. Qualitas urinae, odor. unde
varia urina; ut ex ætate, somno, cibo
&c. De febribus heclicis, ephemeras,
synochis, putridis, continuis, intermit-
tentibus, quartana, &c. Morbi par-
tium, capititis, thoracis, ventris, ar-
tuum. Viæ ratio in morbis ser-
vanda. De natura medicamentorum.
Quid pharmacum: unde eorum vires:

ut in actum ducantur a nostro calore,
prima eorum qualitates, & secundae sa-
pores, &c. Purgantia, vomitoria,
sudorifica, urinalia: partibus pecu-
liaria, antipharmaca, venena. Dele-
ctus remediorum, quando quæque colli-
genda: radices, flores, semina, succi,
lachrymae. Preparantia: corrigen-
tia: menses ducentia, obstruentia,
aperientia, &c. Externa, repellentia,
emplastica, anodyna, narcotica, emol-
lientia, attenuantia, trahentia, discus-
tientia, maturantia, pustulas &
vesicas concitantia. De compositione
medicamentorum: de ejus utilitate &
necessitate: basis, Coctio remediorum,
lavatio, vestitio, tritura, infusio, nutri-
tio, mollitio: metallica remedia, & Al-
chimica. Adjuvantia remedia. Pon-
dem & mensuræ: Sirupi &c. Methodus
medendi. De chirurgia & chirurgo,
ejusque officio. Venenorū natura: ab
iis præcautio. Vitanum prorogari queat
medicina. cur alii aliis longioris vite.

Mors,

Mors, ejus causæ & necessitas. senes cur facile moriantur. Mortis hora an prædici possit. Ægri deplorati sæpe servantur. Semina amplissimum ad medicum campum habetis: vos in messem excollite. Qui velit, hæc latius ex Institutio-nibus Medicis & Methodo medendi (nam inde profecta sunt) pandere poterit: aut (ut varia ingenia sunt) arctius contra-here. Sunt qui brevissimos velint locos ad praxin. His serie hac transigant: In primis ponent morborum definitiones, dein causas cuiusque morbi: signa unde noscatur quod sit talis morbus: Signa differentium causarum ejus mali, hoc est, differentiae propriæ causarum ut noscan-tur: differentiae etiam communes. Indi-cationes cumtive: prognosis num liceat satisfacere indicationibus. Præserva-tio, curatio, chirurgia; Pharmacia, le-nientia, præparantia, purgantia univer-salia, & peculiaria: topica: diæta: empirica.

CAP.

CAP. II.

De Præparatione ad Studi-
um Juris.

§. 1.

Qui studio juris suam addicere ope-
ram gestit, eum Dialecticæ ac ali-
qua Metaphysicæ cognitione imbutum
esse, ante oportet. Qvia absqve his
doctrinis, nec JCtorum commentarii
intelligi, nec in congressibus, cum de
jure disputatur, responderi apte potest.

§. 2.

Deinde opus est, ut historiam Ro-
manam habeat perspectam. Nam &
in Institutis, & in Pandectis maxime
multa occurrunt, qvibus lucem foene-
ratur historia gentis, unde jus hocce
promanavit. Inspiciatur tantum ti-
tulus Digest. de origine Juris & omnium
Magistratum, & successione prudenti-
um; vel evolvatur totus liber i. Digest.
in quo certe qvivis deprehendet, eum
sine ope historiæ non posse explicari.
Si qvis porro Codicem, vel jus Cano-
ni-

nicum evolvit, in subsidium vocet historiam ecclesiasticam, necesse est; quippe quæ de hæreticis, conciliis, canonibus & Episcopis agit, quorum gratia leges & Canones ibi constituti sunt. v. Fr. Balduini, doctissimi lcti libr. duos de *Institution. Historie universæ, & ejus cum jurisprudentia conjunctione.*

S. 3.

Illi statim Ethicæ ac Politicæ doctrinæ studium conjungendum est. Nam in priori natura ac indoles actionum moralium, de quibus Ictus ex legibus judicat, traditur: in altero status reipublicæ qui legibus regi solet, describitur, ut vere adeo dici soleat: *Vbi definit Ethicus, incipit Ictus.* Is enim generatim, quod lege naturæ justum est, demonstrat: Hic vero, quod juxta leges civiles, in civitate justum vel injustum pronunciatur, declarat; quæque leges statui civitatis convenient, demonstrat.

S. 4.

§. 4.

Propter sortem vero & scopum, quem cultores juris habent diversum, ulterius monendum venit; posse juris Studiosos in tres velut classes describi. *Prima* est eorum, qui se tantum fori negotiis, vel praxi præparant, ut causarum patroni vel advocati fiant: *altera* est eorum, qui supra legulejorum scientiam, tum per ingenii, tum fortunæ rationem eniti contendunt; ut aliquando de jure rogati, vel in cathedra, vel in judiciis respondeant publicis, ac nobile JCtorum nomen mereantur. *Tertia* classis est eorum, qui forte aulae, vel supremorum judiciorum ministerio sese præparare student.

§. 5.

Illi, quos primæ classi accensemus, sufficit proletaria juris civilis scientia cum notitia processus forensis; cuius formulæ multis jam libris descriptæ prostant. *Illi* convenit, præter Juris Justinianæ studium, incumbere etiam juri

juri naturæ & gentium, cuius principia ex morali sapientia petenda sunt. Qvam post veteres, Platonem, Ciceronem, tractarunt aliquot Scholastici, de Justitia, jure & legibus agentes; in primis vero ingenio & doctrina insignes viri, *Vasqvius*, *Hotomannus*, *Gentilis*, *H. Grotius*, *Seldénus* & *Pufendorfius*. Hanc Cicero præstabilem scientiam vocans, consistere ait in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, Régum, nationum, denique bellii jure & pacis. His, præter laudatum modo studium, *Jus publicum*, qvod de statu publico v. gr. Reipubl. Romano-Germanicæ agit, excolendum est. Qvod præter solidam Politicæ notitiam, constitutionum Imperialium & historiæ civilis peritiam reqvirit. Qvam in vulgarium JCtorum libris frustra qvæsiveris. Nos *supra cap. IV.* partes ejus, cum auctoribus jam indicavimus.

§. 6.

Omnibus tamen Juris Studiosis, elo-
qven-

quentiam civilem necessariam esse arbitramur. Qvia absqve illa , nec advo-
catus in foro clientis causam commo-
de perorabit ; nec Senator in curia, aut
Judex in tribunal , sine ejus adminicu-
lis , negotia civitatis dilucide propo-
net, aut sententiam dicet. Aularum
vero ministris tota fere die accidit , ut
vel verba Principis nomine , vel Colle-
gii, cui qvis inter-aut præst, causa, ver-
ba facienda sunt publice. Qvapro-
pter & his eloquentiæ studium sum-
mopere commendandum est.

S. 7.

Cæterum, qvod methodum studii Ju-
ris civilis attinet, post Hermanni Vul-
teji dissertationem de studio Juris, Hein-
rici Moreelse jCti Dissertationem de
Manuductione Studioſi Juris, per Acad-
emiam ad Rempublicam. Ægidii Mom-
merii, de Ratione legendi discendique
jura: B. jCti Carpzovii, & Dn. D. Schil-
teri, vel alterius periti Doctoris moni-
ta, qvæ typis jam impressa prostant,
obser-

observanda censemus. Ne per amba-
ges, in vasto juris pelago, sine cynosu-
ra vagari, necesse habeant juvenes, qvi
operam illi navare, solidamqve juris
scientiam comparare sibi, constitue-
runt. Idcirco mature fidelis doctique
daduchi, juris consilium expetant, qvos
libros, qvo ordine legere, qvorumqve
informatione uti, conveniat. Quid
de nobili quinqvennio, legum studio
impendendo, qvod Justinianus Impera-
tor in decantata constitut. omn. Digestis
præmiss. habendum sit, alii judicent.
Nos falcam hic in aliorum messem mit-
tere supersedemus. Non possumus
tamen, qvin H. Grotii excerptum ex
Epistola ad τὸν δεῖνα hic inferamus.

§. 8.

Ad juris studium, inquit Grotius,
nunc qvoqve te adhortor, in qvo si id
tantum agis, ut rem facias, paucis deli-
batis compendiis, statim ad forenses
scriptores tibi convolandum erit. Sin
hic qvoqve percoctam sapientiam, &

N nomen

nomen eximum optas, non aliunde
juris Qviritum cognitionem spera,
quam ex Cujacio, qui solus sufficerit.
Adeo ille omnia istius studii arcana
pervidit, & quibus e fontibus omnia
fluenter. Vigelium non, ut ediscas,
aut saepe lectites, sva deo, sed ut habeas,
sicut indices habemus, ad quos recur-
rere interdum solet hæsitans memoria.
Scholasticæ istæ disputationes parum
prosunt ad sapientiam, ad parandum
foro & subitanè certamini ingenium
non nihil, quasi militiæ togatæ prolusio-
nes. Has quoque ut duplex sit utilitas,
occupari velim in iis juris Romani par-
tibus, quas usus nostri seculi compro-
bavit, qualis præcipue est illa de con-
tractibus. Ante omnia, institutioni-
bus Latinis optimum Græcum interpre-
tem conjunge Theophilum; deinde ad
Lectionem Pandectarum & Codicis &
postremarum constitutionum progre-
dere, quo magis ea leges, eo majori tibi
lux affulget, interposita, ut dixi,

Cuja-

Cujacianorum operum lectione, ad quæ etiam configrias, svadeo, qvoties in alicujus loci intellectu hæsitas, digitum tibi intende ad hoc Gothofredo in margine editi a se corporis. Constitutiones illas, qvas vulgus *Nouellas* vocat, Græce scriptas Græce lege, addita Latina interpretatione vetere non spernenda. Confer *Maresii Epistol.* *Philolog. libr. I. Epist. XL.*

CAP. III.

De Studio Theologico.

S. I.

Quo ordine, in studio Theologico, progreди conveniat, ex nostris Theologis præcipue *B. Gerhardius*, *Hilsemannus*, & *Calovius*, in libris, de *Methodo* bujus Studii, luculenter satis monstrarunt. Qvos venerandus *D. Spenerius* fecutus, nuperrime in *Prefatione* *Tabulis Hodosoph. Dannhauerianæ* *premissa*, eandem viam ingredi S. Theologiæ consecraneos docuit, simul *impedimenta* indicans, ab ipsis etiam

N 2 trium-

triumviris notata. Ut omnibus, qui Theologiam Christianam, non more vulgi insani, ceu artem πεδὸς τὰ ἀλφιτα facientem habent, constare possit, quo trahite, ad metam optatam, pervenientum sit. Sunt & inter Reformatos viri doctissimi, qui de studii theologiciratione commentati sunt. At consultum magis videtur, hac in parte nostrates seqvi, itaque, ut in gratiam tironum, velut in tabula, breviter ordinem hic designem, quem laudati jam doctores operosius descriperunt, juvat illum ex noto Philosophorum scito, quo *finis mensura mediorum* dicitur, in-dagare.

§. 2.

Finis ergo tironis Theologiae, quem animo propositum habet, habere certe debet, est vel *ultimus*, vel *intermedius*. *ILLE* est gloria DEI, unice, semper & ultimo præfigenda. *Hic (intermedius)* iterum respectu ad cultores Theologiae habito, in *communem* (*omnibus scili-*

cet

cet sanctæ hujus disciplinæ consecratis) & particularem, sive quibusdam, ex certa determinatione proprium, distinguvi potest,

§. 3.

Finis communis omnium cultorum Theologiæ est, s. literas intelligere, & inde quæ creditu & factu ad salutem æternam sunt necessaria, haurire, atque alios postea erudire, ut fidei Christianæ consequantur metam.

§. 4.

Vnde, ut hic finis obtineri queat, adparet, necessarium esse, ut quis post Latinam, etiam Hebræam & Græcam linguam calleat: quo Spiritum S. in V. & N. Testamenti codice, sacras doctrinas & divina mysteria pandentem, rectius intelligere queat. Has itaque mature simul cum Latina doctis proptiq. in Scholis & Gymnasiis literariis addiscere oportet: ne in Academiis, ubi alia discenda restant, illis multum temporis insumere, necesse habeant.

N 3

§. 5.

§. 5.

At cognitis pro ingenii modulo,
linguis jam nominatis, modus etiam
interpretandi s. literas, iis perspectus
esse debet. Hunc, s. Hermeneuticæ &
Exegeticæ artis præcepta monstrant.
Qualia B. Dannbauerus, in *Idea B. in-*
terpretis, in *Hermeneut. Sacra*, B. Glassi-
us in *Philolog. S. Flacius* in *clave script.*
s. & clari interpretes B. Franzius, Geie-
rus, venerandus D. Sebast. Schmidius, &
alii passim suppeditant. Nam ut mo-
dum hunc interpretandi, peculiarem
Theologiæ partem faciamus, (Exege-
ticam puta) causam sane nullam video
prægnantem.

§. 6.

Hinc ad res ipsas in S. literis revela-
tas, quæ ad salutem æternam conse-
quendam necessariae sunt, progredien-
dum est; ut debito ordine legantur,
cognoscantur, excerptantur, inque lo-
cos certos disponantur, ut ex memoria,
quando opus est, doceri reddique pos-
sint,

sint, istae vero cum in S. Codice sparsim
sint propositæ; nec adolescentis aut
tironis sit, propositiones fidei revela-
tas, justo & convenienti ordine inde e-
ruere, ac populum statim erudire; ex
monito Apostoli 2. Timoth. II, 15. τὸν
λόγον τῆς ἀληθείας ὁροπεῖν juben-
tis, sancti olim Patres, &, post B. Lu-
theri Reformationem, multi hujus, &
Melanchthonis exemplo excitati, mis-
sis sententiarum Magistris, qui in scho-
lis ante regnaverant, summa fidei Chri-
stianæ capita, ex sacris literis collecta,
libellis Cathecheticis & compendiis
theologicis complexi sunt. Quorum
nummerus hoc nostro seculo jam præci-
pitante, aliis atque aliis inventis nomi-
nibus, valde crevit. His A. Confessio
& Formula Concordiae addenda, ut
stylo Ecclesiæ nostræ, mature adsve-
scant juvenes. v. D. Dorschei Dissertatio-
nem de Recta Studii Theologici confor-
matione, Synopsi Theolog. Zachar. præ-
missam.

§. 7.

Ex his credenda, h. e. articuli fidei Christianæ, qvi sunt propositiones in s. literis, vel qvoad verba, vel qvoad sensum revelatæ ac creditu necessariæ, pertinentur: qvæ κτὶ θεοῦ, ex compendio aliquo jam in Scholis trito, hauriri debent, ut illas ab objectionibus, qvibus aliarum doctores sectarum impugnant, vindicare mature addiscant. Nomen illi Theologiæ Thetico-Polemice vulgo imponitur. Qvam in Locis Martini Chemnitii, Leonhardi Hutteri, Joh. Gerhardi, vel Brochmanni, aut Calovii & Qvenstedii, systematibus theologicis plenius tractari, videas.

§. 8.

Atqve his præmissis, ad alteram Theologiæ Christianæ partem, qvæ de moribus Christianum decentibus, seu, ut vulgo dicuntur, faciendis agit, perendum est. Nam Theologiæ cultori non tantum incumbit, ea, qvæ ad fidem, sed & qvæ ad vitam sancte instituendam faciunt,

ciunt, nosse. Qvæ pars, qvo magis vulgo negligitur, eo acrius urgenda est, ut excolatur. Qvia populus propter corruptos Ecclesiæ mores, a magnis Theologis & Jctis passim notatos, maxime indiget informatione & vitæ emendatione. Atqve hanc partem, *Moralem Theologiam* appellant. Ad qvam, qvæ *casualis* vulgo audit, referimus. Nam si qvis morum, & rectæ ac bonæ conscientiæ regulas, ex sacris literis & morali doctrina recte imbibit, prætereaqve Ecclesiastici status non est imperitus, *casus*, qvi vocantur *conscientiæ*, haut difficulter determinabit. Qvia nihil aliud sunt, qvam qvæstiones singulares practicæ, in vita Christiana qvandoqve incidentes. Qvales in B. *Balduni casib. consc. consiliis Theolog.* *Wittenbergens. Georgii Dedeckeni The-*
sauro consilio. Theolog. Carpzovii Ju-
risprud. consil. & in Agendis, qvæ vo-
cantur, Ecclesiasticis passim leguntur
definite. Similes, ex regulis morali-

N § bus

bus & prudentiae Christianæ, quas nominata jam Theologia explicat, ipsa determinare docet. Apud Pontificios prolixia de his tractatio est; quia propter superstitionem doctrinam de Sacramentis & hierarchia sacra, incertamque decidendi ex traditione & auctoritate doctorum petitam normam, causas superstitionis & inanes multiplicantur, tricisque non necessariis involvuntur.

§. 9.

Huc pertinet doctrina de Officio ministri Ecclesiæ, quæ in Theologia morali non superfunctionie tractanda est. Quia illa omnibus Theologis Studiosis, maxime ministerii Candidato pernota esse debet; siquidem ille munus, cui aliquando præficiendus est, ornare atque animarum sibi concreditarum curam recte gerere velit. Vulgo, in articulo de Ministerio Ecclesiastico attingitur, sed paucioribus, quam fieri parerat. v. B. Lutheri *Pastorale Contra-*

d*s*

di a Porta opera editum, B. D. Qvenstedi Ethicam Pastoralem, & clariss. D. Georg. Henr. Haberlini Specimen Theologiae Practicae.

§. 10.

Adductis jam, qvæ ad finem omnibus Theologiæ studiosis communem faciunt, mediis; restat, ut in particularē, & qvi qvibusdam tantum proprius est, finem inquiramus. Hic non potest determinari; nisi cum prudentioribus Theologis, certæ velut studiosorum classes, constituantur. Alii enim & qvidem major eorum pars fortunæ sunt tenuioris; qvapropter ob sumtuum penuriam, diu in Academiis commorari & studiis invigilare nequeunt; nisi forte a patronis ipsorum paupertas sublevetur. Alii, & fortunæ benignæ subsidiis, & felicis præterea ingenii dotibus instructi sunt. Illorum industria arctiori gyro circumscribenda & ad scopum statim, qvi est populum in agro velloppido qvodam erudire, diri-

N 6 genda

genda est. Itaque necessaria tantum ad hunc scopum consequendum, maturè addisci oportet; omisiss, quæ ad fusiorem & solidiorem scientiam theologicam alioqui facere solent. *Horum*, quos alteri classi deputavi, industria, quippe adminiculis majoribus instructa per universum Philologiæ, Philosophiæ & Theologiæ solidæ, (ut sic loqvar) campum decurrere, ac adeo universæ Theologiæ per partes diffusæ, curriculum emetiri potest. In primis si aliquando in Ecclesia præfulis, vel in Academia Professoris Theologia munus obire constituerunt. *Alii* denique mediocribus ingenii & fortunæ dotibus pollent, & cum tres quatuorve annos in Academiis exegerunt, medioeci forte muneri in Ecclesia præfici gestiunt. Hos, Studiorum Academicorum curriculum, par ratione moderari oportet, ut, cum paucis philosophati sint, S. philologiam & præcipue Theologiæ partes supra nominatas excolere satagent,

gant, addito studio polemico, quo nobiliores trium magnarum religionum controversiae continentur. Atque hoc Studiosorum discrimen, post B. Hulsemannum in *Meth. Stud. Theolog. initio*, B. Calovium in *Præcognit. de Method. Stud. Theol. c. III. can. V.* venerandus ficer meus D. Spenerius, in *præfatione ad Tabb. Hodosoph. Dannhaueri* hic attendendum esse, solidis rationibus nixus, affirmavit.

§. II.

Quid ergo, inqvis, novitio studiofo Theologiæ, qvi primæ jam classi accessitus, vix uno aut altero anno in Academiis agere potest, faciendum est, ut fine suo potiatur feliciter? Huc svascerim, ut, si lingvas sanctas, Græcam & Hebraicam ante jam in scholis, ut par est, didicit, prægustumque aliquem Philosophiæ, (puta, præter Logicam, Metaphysicæ, Physicæ & moralis doctrinæ) habeat; statim animum ad necessarias Theologiæ partes adplicet. Il-

Iæ autem sunt *Thetica & Moralis*, qvi-
bus artem interpretandi textus sacros,
(qvam *Exegeticam* vulgo *Theologiam*
vocant,) addere oportet.

§. 12.

Et prostant in hoc genere varii libel-
li, qvibus uti qvis potest. Tironi uti-
les, qvod *Theticam* qvidem *Theologi-
am* attinet, videntur D. Dieterici insti-
tut. *Catecheticae*, B. D. Calovii *Theolo-
gia Positiva*, Dn. D. Baieri *compendium
Theologiae Positivæ*, *Syntagma Disputat.
Theolog. methodicum* D. Himmelii & B.
Dannbaueri *Hodosophia Christiana*.
D. Jani Bircherodii *Synopsis LL. com-
munium Theologicorum*, D. Sebas-
t. Schmidii comp. *Theol. Argentorati edi-
tum*: D. Joach. Justi *Breithauptii insti-
tit. Theologic. libri duo*. Cum qvibus
D. Menzeri *Exegesis A. Confessionis*,
Form. conc. cum B. Hutteri *Explicatio-
ne*, B. Kromayeri *Theologia Positivo-Po-
lemica*, & nostri D. Scherzeri *Systema
jungi*

jungi merentur: ut, qvæ sint in Ecclesia præcipuæ controversiæ, simul cognoscantur. Qvia vero omnia divina dogmata, ad praxin pietatis referri debent, consultum fuerit, venerandi D. Speneri Tabulas catecheticas simul perillustrari; utpote in qvibus cujusque dogmatis usus in vita Christiana declaratur.

§. 13.

His, qvos indicavi, libris evolutis, *Theologia Moralis* tractanda venit, qvam Job. Conr. Dürrius compendio, & venerandus noster D. Olearius tabulis, complexus est utilissimis. Dn. D. Osiander, adductis Scholarum placitis, eandem copiosius pertractavit. Harum si quis exegesin noverit, tuto homileticum studium, cuius præcepta non adeo multa in B. Hülsemanni Methodo concionandi, & B. Carpzovii Hodegetico exhibentur, auspicari poterit. Ad omnes has Theologiæ partes excolendas, subinde sacer codex ad manus esse debet, ut quid exinde

exinde probari, quid non, yideri que-
at. Vulgarem nimisqve frequentem
juvenum errorem, qvo occupati multi
homiletico studio incumbunt, ante-
qvā doctrinæ Christianæ capita didice-
re, merito in allegata jam præfatione
D. Spenerus notavit.

§. 14.

Altera studiosorum classis, qvam §. 9.
• constituimus, pro ingenii & faculta-
tum ratione, altiorē sibi scopum præ-
figens, adminicula tum ex Philologia
sacra, tum philosophiæ sanæ partibus
omnia assumat prius, qvam Theologiæ
partes debito ordine percurrat, soli-
damqve inde sibi paret scientiam, Ec-
clesiæ profuturam. Tempus qvidem
certum, qvod in hoc curriculo emet-
endo necessarium, absqve circumstan-
tiarum consideratione, promiscue de-
terminari nequit; Hülfemannus ta-
men, vir summi judicii, in *methodo*
Stud. Theologici p. 257. confidenter af-
firmat, *non posse etiam vegetissimum in-*
genium,

DE STVD O THEOLOG CO. 305

genium, præsupposita sacrarum lingua-
rum & artium philosophicarum cogni-
tione, infra quinqvennium ad cognitio-
nem mediocrem, solidam tamen perve-
nire. Primum annum, inquit, integrum
dabit studio Catecheseos, ut saltem in the-
si discat, quid orthodoxum sit, quibus
scripturarum fundamentis adstruatur.
Secundum annum integrum tribuet sum-
marie controversiarum cognitioni, di-
gnoscendis earum hypothesibus, connexi-
oni, progressui &c. nulla harum distin-
ctione, nisi, ut a meridie lingvarum ex-
ercitia, ne plane excidant, repetat. Pro-
ximum triennium, citra otium insumet
lectione scripturarum cum commentari-
is, ventilatione controversiarum tum
theologicarum, tum Scholasticarum, &
si eos saltem autores interea evolverit,
quos supra recitavimus, perdit tempora-
ris, jure cum pœnitere non potest. Præ-
sertim, si vel unam ex quavis hebdomade
diem destinet studio historiæ ecclesiastice,
evolvendis patrum, conciliorum scriptis.

Theo-

Theologiam moralem, quam casus conscientiae vocamus, excipimus ab hoc quinquennio. Enimvero tam vastum est hoc studium, ut intra hoc tempus, scientia navim vix a littore deducere quis possit. Pietatis autem praxi, sive pro se, sive pro aliis informandis, nullos certos annos designamus, hoc enim exercitium quotidie vigere oportet, & si alias non vacat, saltem diebus Sabbati a meridie, & diebus Dominicis, aliquid ex homiliis & similibus ad pietatem incentivis colligendum est.

S. 15.

Quinqvennium hoc, a viro beato designatum, forsan etiam ita partiri juvenis possit, ut primos duos annos Philosophiae & Philologiae impendat sacrae, compendium simul aliquod evolvens theologicum, quod Theologiam theticam complectatur, cum praincipiarum controversiarum indice, qualem
Men-

Menzerus in Exegesi A. Confessionis exhibet, juncto B. Calovii commentario in eandem. Inde finito bieānio, primum Theologiæ polemica studium aggrediendum est, in qvo potissimum controversiæ, qvæ nobis cum Pontificiis & Reformatiis; deinde cum Socinianis, Arminianis, Judæis, vel etiam Anabaptistis intercedunt, examinandæ sunt; ut earum momenta noscantur, & ut strophæ illorum solvi debeant, recte discatur, ubi consultum videtur, in qvavis secta præcipuas, & qvæ fundamentum attingunt, controversias, a cæteris, qvæ fundamentum fidei non concernunt, distingvere. Nam iis ante probe cognitis, qvæ inde dependent, facile intelliguntur.

§. 16.

Controversiæ, qvæ Pontificios a nobis segregant, ex concilio Tridentino e-jusqve interpretibus, in primis Bellarmino, & qvihoc brevior est, Becano, in Manuali controversiarum, nosci poterunt.

erunt. Hic vero opus est ducibus,
qui viam illis depellendis praeant. Ta-
les post Megalandrum Lutherum, sunt
B. Martinus Chemnitius in *Examine*
Concil. Trident. Cui jungi debet *D. Hei-*
deggeri Anatome concilii Tridentini,
Heilbrunnerus im uncatholischen
Pabstthum / D. Gerhardus in confess.
Catholica, D. Hopfnerus in Saxonia Ev-
angelica, Theologi Saxonici in der
Haupt-Bertheidigung des Sacri si-
schen Aug. Apfels / D. Hulsema nus in
Manuali Aug. Confess. contra H. gerum;
Nic. Hunnius de Apostasia Romana Ec-
clesiae ab antiqua Apostolica, D. Dann-
hauerus in Hodomor. Papea. Et cum
scriptores Pontificii subinde *B. Lutheri*
vitam & res gestas perstringunt, *D.*
Müller liber, cui titulus *Lutherus de-*
fensus, item *defensio defensi Lutheri*, &
illustris Domini Seckendorfi *Historia Lu-*
theranismi evolvi merentur. Hi, cum
sufficere in hac studii parte possint can-
didato, plures allegare ex recentiorum
scriptorum numero, supersedeo. §. 17.

§. 17.

Reformatorum controversiae, quas contra Lutheranos excitarunt, ex *Calvini institutionibus*, *Catechismo Heidelbergensi*, *Confessionum Reform. corpore* & *Syntagmate*, & *Synodi Dordracene Decretis*, cognoscuntur. Unde systematici Reformatorum scriptores platica sua repetere fere solent. *Wendelinus in LL. commun.* illas in compendio exhibet. Hisce refellendis inferviunt præter Systematum scriptores jam allegati, *Darmstadinorum Theologorum Scripta amœbaya cum Cassellanis*, (*Wechsel-Schriften* /) *D. Hutterus in concordia concorde*, *Dannhauerus in Hodomoria Calviniana*, *D. Nic. Hunnius in Diagnosē Theologica*, de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ Lutheranæ, & Calvinianæ seu Reformatæ. *D. Gräwerus in invicta demonstratione Logica & Theologica aliquot horrendorum paradoxorum Calviniani dogmatis*, in *Articulis de persona Christi*,

sti, Cœna Domini, Baptismo & Prædestinatione. D. Seldii *Topica Calviniana* &c. Faciunt huc Theologi acutissimi D. Affelmanni *disputationes contra Reformatorum placita*, Rostochii habitiæ, & a nostro D. Mæbio, uno volumine publicatæ. In *disputationum Marburgensium, Gieffensium & Wittenbergensium voluminibus*, dogmata Reformatorum erronea passim quoque confutantur quare illis jungi possunt.

§. 18.

His autem cognitis, Arminianorū dogmata, ex ipsius Arminii, Episcopi Curcellæi & Arminianorum Epistolis indagari possunt, adhibita B. Calovii consideratione Arminianismi, & collatis Vedelii Arcanis ejusdem Sectæ, quæ nunc paucis gradibus a Socinianis distare videtur. Hinc ad Socinianismum, sectam Christianismo vero valde inimicam, noscendam, Calovii Socinismus Prostigatus, & Scherzeri nostri Collegium Anti-Socinianum evolvantur,

&

& quos ipsi scriptores allegarunt, simul
inspiciantur.

§. 19.

Judæorum objectionibus diluendis,
sufficiunt Raymundi *Pugio Fidei*, cum
observationibus Josephi de Voisin & in-
troductione celeberrimi D. Carpzovii, D.
Müllerij Judaismus, Hornbeckij de con-
vincendis Judæis liber, Wagenseilij Te-
la Ignea Satanae, Huetij Demonstratio
Evangelica, & alii, qvi similem operam
expugnandæ Judæorum pertinaciæ in-
sumpererunt. Fanaticorum & Anaba-
ptistarum Φλυαρία in systematibus
theologicis passim confutantur. Et
frustra qvis est, si tales disputando con-
vinci posse, existimet; cum non ex
verbo scripto sua placita, sed ex imme-
diata revelatione, vel inspiratione aut
colloquiis cum Deo, qvæ jactant, ut
plurimum derivare soleant. Brevia-
rium omnium, qvas memoravi, con-
troversiarum in Ecclesia motarum, B.
Hälfemannus in suo Breviario extenso

&

& a B. Scherzero annotationibus illustrato, exhibet.

§. 20.

Vniversum controversiarum theologicarum studium, absqve historiæ ecclesiasticæ luce minus feliciter tractari, qvivis rerum, qvæ in Ecclesia geruntur, paullo peritior, puto, admiserit. Nam qvod primo Pontificiorum dogmata attinet erronea; illa, vel dominatum cleri Romani, vel doctrinam fidei, vel mores Ecclesiæ corruptos concernunt historia consulenda venit. Dominatus Pontificis Romani tyrannicus, ex historia indagandus; qvippe unde constat, qvando, qvibus mediis, qvorumve auxilio inoleverit. Ubi post M. Antonii de Dominis, de Republ. Ecclæs. libr. & P. Svaris historiam concilii Tridentini, aureolus PufendorfI tractatus de Monarchia Pontificis Romani, multum in hac historia legenda lucis foeneratur. Ipsa doctrina fidei tum per ritus superstitiones, tum per placita Schola-

Scholaisticorum contaminata, successive labem attraxit, qvod iterum ex historia cognoscendum. Atque hic B. Gerhardi *Confessio Catholica*, *Centuratores Magdeburgici*, *Flacii catalogus Testium veritatis*, nec non autor tractatus Gallici, Amstelodami anno 1646. editi, cui titulus: *Traité des Anciennes Cérémonies où Histoire, contenant leur Naissance & Acroissement, leur Entrée en l'Eglise, & par qvels degrez elles ont passés jusques à la superstition &c.* Morum in Ecclesia Pontificia corruptio, etiam cum opum affluentia aucta, clericos populo exosos reddidit; ut in publicis conciliis reformatio, ante B. Lutheri ætatem, jam decreta fuerit. Qvo pertinet historia reformationis, qvam ex Sleidano, P. Svave, Chytræo, G. Cœlestino, Thuano, Osiandro & illustris Domini Seckendorfi *Historia Lutheranissimi*, hauririlicebit.

§. 21.

Ad Reformatorum historiam controversiarum comparandam, præter

O

Slei-

Sleidani & Thuani historiam, D. Schlüffselburgius in Catalogo Hæretic. Calvinus, Beza, Chytræus & Marbachius in Epistolis Theologicis, item Hutterus in Concordia concorde cōsulendi sunt; ita, ut, qvæ in antiquiori historia de Nestorii, Berengarii, Prædestinatianorum & Iconoclastrarum controversiis memorantur, hic simul repetantur & conferantur; ut, ex qvibus rivulis nonnulla placita Reformati derivarint, rectius intelligi queat.

§. 22.

Socinianorum sectam, hæresin suam ex Cerinthi, Ebionis, Arii, Macedonii, Photini, Pelagii hostis gratiæ, & P. Abailardi, Michaëlis Serveti, per Lælium ac Faustum Socinum compilasse, iterum historia docet. Qvapropter si qvis ejus originem primam scire avet, historia, qvæ istorum hæreses memorat, ecclesiastica evolvenda est prius, qvam momenta controversiarum expendi & refelli queant.

§. 23.

§. 23.

De Patrum, quos vocant, Scholasticon, & Asceticorum scriptorum lectione; item de Philosophiae usu & disputatoriis exercitiis, adhuc quædam monerem; nisi Theologi supra §. 1. hujus capituli allegati, omnia, quæ hac in parte studiosum Theologiae scire, aut observare oportet, libellis modo citatis præcepissent. A quibus, in prefatione Tabb. Hodosoph. Dannhaweri, nuperime non aliena tradidit venerandus D. Spenerus; licet abusus quosdam, in nonnullis studii hujus sancti partibus haut infrequentes, ex officii ratione, simul notarit. Quæ prudenti & cordato lectori displicere haut possunt.

§. 24.

Aëtus, quo studium Theologicum velut perfici debet, D. Lutherus tom. 1. Germ. Jenens. ex Ps. CXIX. recenset: ut Omnia, meditatio & tentatio: Quos B. Calovius de Meth. Stud. theolog. p. 4. §. scqq. & sect. 1. generali c. 1. 2. 3. 4. fuisse declarat. De locorum communis

O 2 um

um theologicorum collectione consilium D. Affelmannus in Appendice scriptorum theologicorum a D. Mæbio edita, pag. 57. seq. suggerit. Ad hunc ergo, & qvos jam laudavi Hodgetas, studiosos nostros ablegatos cupio, qvi alias hic vias qværunt, aut ostentant, eos vates divinus Ezechiel cap. XIII. graviter reprehendit. Nos DEUM precamur; ut gratiam suam omnibus humanæ & divinæ sapientiæ cupidis adspiret, quo illam inveniant, & inventa ad gloriam Nominis sui, propter Christi nomen, recte utantur æternumqve fruantur!

CAP. IV.

A. Comeni, Regulæ Vitæ Sapientis.

Sapere, proprium est hominis, qvi Sapientis DEI imago est. Ergo ut sapias, cura...

(1. Qvicq; agis, & unquam ages, prospice finem: & ad finem disisce mediæ: datisque mediis, utendi discemodos.

*dos accuratos, ne una cum mediis tuis
frustratis; uti plerumque fit, ut suf-
ficienter a divina bonitate submini-
strata media, humana itolitatem
pereant, si neque usi sint. Tria illa
in quacunque re sciveris, omnia
ejus sciveris.*

(2. *Fines tamen Rerum, Media, Modos-
que, memento scire, Te debere non ad
otiosa spectacula, sed ad usum. Habe-
re alioquin aliquid, & possidere, &
intelligere, si non utaris, vanum est.*

*Ergo: Quidquid bonum esse intelligis, ad
illud veluti scopum tuum collima.*

*Quicquid ad asequendum scopum tuum con-
ferre vides, id prehende, tene, urge.*

*Quidquid urges, ne frustra urges, sum-
ma circumspectione cave. Ita nullo
non voto potieris tuo: nisi forsitan
alicubi nolit DEVS, obicesque Tibi
insuperabiles opponat. Sed tum in
promptu est solatium, te non culpa
tua bono illo carere, sed quia DEO
sic visum, patientiam exercere tuam,
ob causas sibi, si non tibi, notas.*

O 3 (3. Et

(3. Et quia vita tua omnium Actionum tuarum universus complexus est, hanc ante omnia particularia sic tibi dispone, ut finem ejus ob oculos habeas perpetuo, & ad illum viis omnibus contendas indefinenter.

Qvis autem sit vitæ nostræ finis, ad quem collimare sapientia sit, docet DEVS ipse Deut. 32. vers. 29. Utinam saperent, & intellegent, & provide rent novissima sua. Ecce sapientia ultima, hoc est summa est, ultimos providere fines.

Quid autem est ultimum nisi æternitas? Ultimum enim est, ultra quod nihil datur. Atqui ultra omnia, quæ hic in mundo sunt, semper aliquid ulterius datur, & nativitate venitur in vitam; inde itur in mortem; hinc ad Resurrectionem: demum incipit Vita interminabilis, ex qua nullus patebit exitus, & per consequens, ultra quem nihil datur. Ergo æternitas ipsa novissimum illud nostrum est: ultra quod nihil restat. Ergo hanc ab initio

tio statim providere; ergo ad hanc omnia intermedia disponere, vera sapientia est. Ergo qui intermedia tantum curant, ultimorum obliiscuntur, desipiunt, & quidem noxie desipiunt, quia media sine fine apprehendunt: utque æterna beatitudine excidant, & in æternam calamitatem prolabantur, efficiunt.

Memento igitur.

- (1) Vitæ tuæ scopum esse, ad æternitatem præparari. Hoc nisi provideris, vitam perdideris. Atque tum non nasci præstiterit.
- (2) Ad Æternitatem tamen, quia non venitur nisi per mortem: tota vita præparabis te ad mortem. (ut bona tibi sit, te non absorbeat, sed ad æternitatem tantum intromittat.)
- (3) Ad mortem autem bonam quia non pervenitur, nisi per vitam bonam; tota vita hoc ages, ut bene vivas, hoc est sancte, ad voluntatem ejus qui vitæ mortisque arbiter, Bonis vitam, Malis mortem destinavit.

O 4) 4. Et

- (4. Et qvia ad vitam bonam non pervo-
nitur , nisi per adsvefactionem bo-
nam (malis adsvefactus mutare mo-
res , ut Æthiops pellem , non potest ,
Jer. 13. 23. qvia Consuetudo abit in
naturam :) tota vita hoc ages , ut
qvicqvid malum est , aut mali speci-
em habet (1. Thess. 5, 22.) id averse-
ris : rursum autem : qvæcunqve pu-
dica , qvæcunqve iusta , qvæcunqve
sancta , qvæcunqve amabilia , qvæ-
cunqve bonæ famæ , si qva virtus , si
qva laus , hæc cogites (Phil. 4, 8.)
- (5. Et qvia seqvibona , fugere mala ne-
mo potest , nisi qvi , qvid vere bo-
num & malum sit , intelligit (qvia
ignoti boni nulla cupido , ignorati
mali nullus horror) tota vita hoc a-
gendum erit , ut Tenon conformes
huic seculo , sed reformati in novi-
tate sensus Tui : utqve probes , qvæ
sit voluntas Dei bona , & benepla-
cens & perfecta (Rom. 12, 3.)
- (6. Et qvia cogitationes mortalium sunt
timidæ , & incertæ providentia no-
stræ ,

stræ, (Sap. 9,14.) tota vita hoc Tibi agendum erit, ut cum timore & tremore opereris salutem tuam (Phil.2, 12.) non solum peccata horrens, ne admittas; sed & ipsa tua bona facta, ne aut opinione tantum bona sint, hypocrisi admixta, aut te in Pharisacam tui complacentiam præcipitent. Nullam itaque præter in misericordia Dei, & merito Christi, defixam anchoram cogitabis, eo demum scuto securus futurus, si resignata omni voluntate propria, omnique Tui & omnium Creaturarum fiducia sepulta DEO uni de Te hic & in æternū disponendi tradas arbitrium.

Breviter. Vive, dum vivis, tanquam moriturus: ut moriaris, dum morieris, tanquam victurus. Væ enim illis qui ad mortem resurgent. Tu si resurgere voles ad vitam, videndum tibi ne moriaris in morte. Si in morte mori non vis, hebetandi tibi sunt ante mortem Mortis stimuli: qui sunt peccata (1. Cor. 15, 16.)

O S M-

Morientur autem ante te peccata, si operam dederis, ut vivat in Te Christus (Gal. 2, 20.) Christus enim quia vita fons est, scaturiet in te in vitam aeternam: Morsque Tibi non erit mors, ut nec illis fuit, sed transitus ad vitam immortalem.

Hæc est Sapientia vera, subordinatio Finium & mediorum gradata, a primis ad ultimæ usq;: observatioq; eorum accurata, ne aberras a gradibus, & incidas in præcipitia. Deus Te regat.

Regulæ Vitæ tranquillæ.

Summum in vita bonum, est Animus tranquillus ac serenus, ab anxietudinum procellis liber. Hunc beatum portum ut teneas, seqventia observa.

(1. Quidquid mentem, aut conscientiam turbare possit, prævenire labora, ne cum talibus rebus, quicquam particeps. Possunt autem turbare mentem, negotiorum multitudo, aut alienitas: qvibus si quis se implicat spinas inveniet certo, tametsi aliquant-

qvando rosæ videantur. Ergo, ut tranqvillus sis, cave esse πολυπεριμων, ardelio: qvæ Tua sunt, tacite age, aliena relinqve; in Tuis etiam non nimis scrupulare curiosus, & de qvibusvis minutis anxius. Face ea, qvæ salutem Tuam, & Tuum, primario spectent; reliqua committe Deo, cui cura est de nobis.

(2.) Conscientia vero turbatur admisis peccatis: cum Anima sibi male conscientia oculos DEI & hominum erubescit, pœnamq; promeritam trepidat. Ergo si conscientiam vis tranqvillam, ne habeat qvod Tibi objiciat effice: hoc est, peccata nulla nunquam sciens volens admitte. Atq; si vitare peccata vis, vita occasiones: cujusmodi sunt prava sodalitia, loca suspecta, &c. Imprudens est, qui ubi alium cecidisse vidit, eodem pervenit tamen. At nos qvotidie homines, inter occasiones labi, & periire videmus, & non cavebim⁹ tamen?

(3.) Si qvando in occasiones (cujuscunque pec-

peccati) incidis, obfirma animum, ut
 non succumbas, sed vicit abeas. Pu-
 gna igitur opus: & ad pugnam pro
 conscientia servanda illæsa, virtutis
 armis. Aut igitur Te eripe fuga (susq;
 deq;ve habito, qvid prava sodalitia de
 Te judicatura sint) aut persta immo-
 tus, Apostolicum illud cogitans:
*Ego mundo crucifixus sum, & mun-
 dus mihi.* Et qvia non frustra di-
 cтum est, occasiones neminem malum
 faciunt, sed qvalis qvis sit, ostendunt;
 (nempe igni admota Arena non ar-
 det, Stupa ardet;) cogita in tenta-
 tionem delatus: *Si malis consenserо,
 malum me esse, & fuisse hypocritam
 ostenderо;* Ergo in proposito virtutis
 retinenda perseverabo, nec me dimo-
 veri patiar. Memento autem, tu-
 tiorem in temptationibus carnis sem-
 per esse fugam, qvam pugnam: Sa-
 pienterq; fecisse Josephum, qvi,
 cum non sufficeret rationabilis ho-
 nesti propositi defensio, fuga se eri-
 pere, qvam disputare maluit. Tur-
 pius

pius ejicitur (& periculosius) qvam non admittitur hostis.

(4. Si qvando pugnandum est adversus vitia, nec omniuo conscientie vulnera effugis, recollige Te raox, Satanae qve in Te nidificare incipienti, illico disjicenidum. Hoc est, sub initia peccati mox pœnitentiam age, antequam peccati exspiret horror, mortiferum dulcescat venenum, mori qve incipiat conscientia. Qui sciens volens peccato asfvescit, manus & pedes præbet Diabolo constrin-gendos consuetudinis malæ vinculis, ut se liberare post non possit; tametsi velit (2 Tim. 2. 25. 26.) Æternæ itaqve legis instar Tibi sit illud.

Principiis obſta: ferò medicina pa-ratur,

*Cum mala per longas invaluere
moras.*

A conscientiæ peccato turbaræ procel-lis, non datur refugium, niſi ad pœ-nitentiæ portum: facilius, si non longe fuēris progressus, difficilius,

&

& cum absorptionis periculo, si longius fueris abreptus. Nunquam ergo propter Pœnitentiæ spem peccavetis: incertus, an eam agere possis. Sponte enim peccantes deserunt a spiritu Dei, quo ad pœnitentiam duce, si destituuntur, pœnitentiam non inveniunt. (Heb. 12, 17.) Sed & hoc cogita: per se melius esse, Vas non inquinari quam elui; Meliusque te non vulnerari, quam curari, Melius hostem Regni visceribus excludere, quam intromissum & omnia astantem expellere velle &c. quia & fascilius & tutius.

In summa, quia mundus hic inquietudinum mare est, inque tumultu rerum hic vivimus, ut quam potes securus sis, (si omnino tranquillus) haec age:

(α. Plus Deo quam Hominib⁹ conversare.
(Ille sit intimæ deliciæ Tuae.)

(β. Plus Tibi quam Aliis attende.
Tua ut agas, non aliena: Tuique curam ipse potius habeas, quam aliis

com.

committas; & deniqve Te ipso potius ritaris, qvam qvcunqve alio. Aliis inqvam niti (qvod perqvam Bene Nota) ne consvescas, Tua Tibi in negotiis Tuis īdustria; tua Recti propositi conscientia, Tua in Deum fiducia , anehora sacra sint.

(γ. Plus Animo qvam Corpori semper vaca. Recte Epictetus: Ea qvæ corporis sunt, facienda sunt obiter: Res animi demum fixa cura dignæ sunt. Corpus enim a terra habemus, non pluris æstimandum, qvam vasa lutea merentur : Animus ex Deo est, Mundo igitur major, magni æstimandus, pure servandus, il-libatus Deo testituendus. Si animam perdideris, redemptioni ejus mundus universus non sufficiet. Ergo corpus serviat; Anima regnet: cui si sceptrum das, utque corpore libere utatur, præstas, Rex eris actionum Tuarum, minuenturqve Tibi infinitæ, a corporis nimia cura venire solitæ molestiæ.

Ha

328 CAP. IV. DE REG. VITÆ SAP.

Hæ sunt Tranqvillitatis veræ viæ ! quas
si insistis , non facile Te qvicqvam
turbabit Tua culpa. Si qvid vero ab
aliena veniet malitia , aut ab immis-
sione Dei (qui suos sine probatione
qvaliqli raro esse permittit, qvia
eos Virtutum & patientiæ exercitiis
perfici sovit) cedet in gaudii au-
gmenta , eoque majorē mentis sere-
nitatem. Felicem Te , si Te in-
tra hos continueris can-
cellos !

S. D. G.

